JESUITES

Pharmacopœi Parisienses

ex Dono Magistri
Gillet Antiq: Præf:
1764

Collection L. Y. ... 189...

Doctoriae Rudolfi

Tractatus

Rés DE 11168

DE MAGNETICA VULNERUM CURATIONE, citra ullam superstitionem, dolorem, & remedii etiam applicationem,

TRACTATUS,

Mirandarum & in Natura hactenus occultarum rerum causas patefaciens.

ACCESSIT IN FINE oratio de luxuriosis & prodigiosis nostri ævi cõviviis, eorumq; origine autoribus & assectis, lectu ut nec indigna, sic nec injucunda.

Autore Rod. Gocl. Med. D. & Prof. in Acad. Marp.

1613.

11168

NOBILISSIMIS, MAgnificis, strenuis, ac literatissimis Dóminis,

D. CONRADO A TH'AN in Romersgehaich & Wordt, Sacræ Cæs. Majest. à Bellicis, & Reverendissimo Abbati Fuldensi à secretioribus consiliis, Præfecto simul Bruckenovienſi, Liberæ item Nobilitatis Francicæ ad Rhonam & Werrum Capitaneo;

Nec non

DN. GEORGIO FRIDEricoà Thann in Kotla, Bouchoniæ Consiliario provinciali, Dominis suis perpetuo observandis,

Rod. Gocl: Med. D: precatur felicitatem summam.

QUâ fiducia, Nobiliss. & Magnifici viri, hunc me-

um de Magnetica vulneris curatione (quam impoſtoriam multi rerum naturę ignari putant) tractatum, una cum oratione de luxu in conviviis noſtri ſeculi, vobis prudentia, eruditione, virtute, ſplendore gloriæ, opibusque ac autoritate florentibus, auſus ſim aſſcribere, & in tutelam veſtram tradere, non immeritò miramini. Sed mirari deſinetis, ſi virtutis & humanitatis me veſtræ famâ, cujus laudatiſſimos paſſim habetis præcones, perſuaſum ad id eſſe, intellexeritis. Quantò enim deſiderio & amore literarum ducamini, quanti Muſarum ſitis Mecœnates, quam benevoli, propenſi, humani & benefici erga

ga singulos, qui in humaniori literatura excolenda omnes ingenii nervos intendunt, nunc dicere non est meum, & dissimulare id potius malo quam scribere, ne adulando placuisse velle videar. Ut igitur monimentum aliquod extaret publicum gratitudinis illius, quam Musæ & Minerva vobis debent, eoq; magis magisq; ad juvandam & promovendam rem literariam excitari possitis, non alienum ab honestate & philosophica verecundia esse duxi, hunc tractatum, multa in naturæ majestate recondita & à sensibus remota, continentem, una cum annexa oratione, illustri vestro nomini dicare & consecrare,

rogans ea qua decet obſervantia, ut eum ſerena fronte accipere, animo benevolo cõplecti, auctoritatis veſtræ præſidio contra virulentum Momi morſum, tueri, me vero favoris & benevolentiæ veſtrę aura afflare dignemini. Ego viciſſim omni officiorum genere nomini, laudi & honori veſtro, quantum potero, ſtudebo. Faxit Deus, ut veſtra Dignitas literis ſit ornamento & præſidio quam diutiſſimè. Marp. 1612. 28. Octobr.

TRA-

TRACTATVS DE UNGUENTO ARMARIO.

QUoniam vetus ac laudabilis inclytæ hujus Academiæ mos est, auditores longe clarissimi, ut qui in professorum Collegium cooptantur, ij professionis suæ specimen aliquod proferant, vel de materia commissæ Spartæ consentanea Orationem habeant, nõ fuit mihi faciundum, ut hoc optimum majorum institutum ex honestissimis caussis rationibusq; profectum, à me neglectui habitum videretur.

Sed putavi officij mei esse ut prius quædam perorando præfarer quàm ad de mandatum mihi

publicæ docendi munus me conferrem. Etsi autem non forte hîc alienum, physicam scientiam ab antiquitate, dignitate utilitateq; cum summa jucunditate conjuncta, commendare, tamen quia de his alibi sæpius, à doctrina judicioque me longe superioribus eruditè multa dicta esse scio, neminem quoq;, nisi cyclopicæ plane ruditatis, fore existimo, qui de physicæ antiquitate ac utilitate sit dubitaturus, quę etiam est tanta, ut neque Theologus, neq; jurisperitus, omnium vero minimè Medicus eâ carere possit, ut non nisi à Periclę laudanda videatur, qui eam ab Anaxagora traditam percepit, & illius beneficio splendidior in dicendo extitit, omissis jam inquam iis, quæ de Physicæ utilitate in medium afferri possent, quæstionem unicam, quæ

multo-

multorum ingenia hactenus torsit, & etiam nunc fatigat, ex intimis naturæ penetralibus ac latebris depromtam, quantum quidem à me fieri poterit, impræsentiarum explicabo, persuasum habens, ex ea, admirabilem naturæ, & pene incredibilem potentiam atque majestatem satis superque apparituram. Vos auditores dum in tam vastum pelagus navigo, vestræ clementiæ ac benevolentiæ aura me sublevate & benignè prosequimini, magisq; ex voluntate dicentis, quam ex ipsa re & formā æstimate, & si forsan à scopo aberravero, tempori novercanti, quo ab ejusmodi exercitiis abfui, amanter asscribite.

Quæstio autem, quam tractandam suscepi, versabitur in eo potissimum, an unguentum armarium, quo etiam unum, duo vel

plura miliaria vulneratus absens sanitati restituitur, telo seu instrumento, quo vulnus inflictum est, eo tantum delibuto, causam habeat in natura, an vero impostorium sit, vel veneficum? At principio quidem non possum hîc non meminisse, quod, cum essem in Suecia apud I. L. quendam & Generosum Dominum, duo ex ipsius ministris poculis invicem certantes à verbis ad verbera devenirent, alterque, alterius femur dextrum cultello satis profunde punctim vulneraret. Cumque Chirurgus haberi protinus non posset, erat enim aula ab urbe remotior, ecce uxor Generosi illius domini Fœmina nobilissima, naturæque rerum non ignara, non applicato remedio ipsi vulneri, ullum item dolorem id curavit, cultello tantum, quo vulnus

erat

erat inflictum, peculiari unguento delibuto. Et vulgi experimentum notius est, cum aculeos vel clavos pedum plantis infixos detrahunt, lardoque elixo immittunt, & ita partem sanciatam seu vulnus absque inflammatione & dolore consolidant. Quæritur igitur, quid causæ habeat in natura actio hæc admirabilis? Non desunt, & inter eruditos quidam, qui naturaliter id fieri posse planè negant. Alii astruunt, vulnus quidem ipsum naturaliter curari, ceremonias a. magicas esse, impostorias, ludicras & ad speciem confictas, Verum cum ab illis etiam frequentissimè istam adhiberi curam sciam, qui religiosissimi & re & fama essent, & nullum nec dicto nec facto in divina oracula fiat delictum, nondum video, quomodo superstitio vel im-

postura hic locum habere possit.

Superstitio quid?

Superstitionem enim quamcunque deliram esse & inanem religionem in confesso est, quotiescunq; scilicet homo dicit vel facit boni consequendi vel mali cujuspiam vitandi causa, quod neque naturalem neque præternaturalem vim habet ad effectum intentum, ut si quis in flumine seminet, vel littus aret, dicendus esset operari vanitatem, quia seminandi & arandi finis est messis, quem finem hæc ejus actio consequi nequit. Sic superstitione & vanitate non caret, cum aqua benedicta bibitur contra infirmitatem, & spargitur ad fertilitatem, balnea adhibere in vigilia nativitatis contra febres & dentium dolores, non comedere carnes in die nativitatis Domini contra febres, honorare S. Nicolaum pro

Exẽpla veræ superstitionis.

acqui-

acquirendis divitiis, ire ad S. Valentinum contra morbum caducum, pellere eundem prolatis gestatisve his carminibus.

Caspar fert Myrrham; thus Melchior, Balthasar aurum.
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum.

Dentium item dolores mitescere, si quis, dum sacrum fit, dentes contingat, hęc efferens verba, os non comminuetis ex eo: portare crucem per campos in vere circumquaque contra tempestates, uti amuletis ad collum suspensis, quibus inscriptum est symbolum Apostolicum, vel initium Evangelii Johannis, vel Psalmi alicujus particula contra incantamenta & dæmonum spectra, uti denique exorcismis & conjurationibus quæ absque superstitiosa aliqua ceremonia ad-

hiberi non possunt, quia scilicet non eruuntur ex signis & notis naturalibus, à natura ad significandum aliquid destinatis, ut ita dixisse non liceat, cur & unde creditas habent vires. Ac ejusmodi anilium deliramentorum exempla ubique terrarum occurrunt ferè quotidiè, quæ lubens silentio prætereo, ut vana enim & superstitiosa ab instituto nostro, prodigiosæque naturæ limitibus sunt arcenda. In unguento autem armario actionem in lucem prodire sine ulla superstitione, fuco & impostura, tum ex ipso operandi modo, si quis scilicet eo utatur, tum ex iis etiam, quæ à me in medium, proferentur, innotescet. Nullæ hîc audientur nugæ, nulla ænigmata, nulla commenta, fabulosum nihil, insulsum nihil, sed augustissimæ naturæ Magnalia

gnalia omnem ferè fidem excedentia, eam vel maximè ob causam non occultanda, non reticenda quod ad summam Dei potentiam ac sapientiam laudandam venerandamque nos sint excitatura. Itaq; in intima naturæ latifundia nos demittemus, aliamque quàm superstitionis prætextum, exquiremus eruemusque causam, cujus inquisitio, quæ difficultate non caret, & à plerisque ignoratur, ex sequentibus petenda est principiis.

Omnibus & cunctis universis rebus congenitam quãdam inter se esse consortii aut dissidii proprietatem, quâ citra visibilem cõtactum mutuo alterantur & afficiuntur, experientia testis est, & qui negat,

Ostendi Solem postulat ille sibi.

Harum qualitatum, virium q; abstru-

abstrusarum ac in naturæ majestate penitus occultarum exploratio & cognitio magia naturalis est, ex sympathia rerum orta, quarum consensum dissidiumq; qui noverit, Magiæ dicetur peritus, iisque utens occultè, admiranda potest producere & incredibilia vulgo, ut non nisi auxilio dæmonum talia facta esse putentur, propterea quod modus efficiendi non utique est manifestus. Est enim hoc mysterium aliud nihil, quàm Sympathiæ Antipathiæq; superiorum & inferiorum scientia.

Magia naturalis.

Sympathia mutua quædam consensio est inter res physicas, qua se amice amplectuntur: alii compassionem vocant. Galenus 3. de simpl med. c.5. utitur nomine amicitiæ Plin. l.37. cap.4 vocat concordiam Cic. de fat. gravissi-

Sympathia quid;

viſſimis veriſſimiſq; verbis convenientiam naturæq; continuationem, licet enim diſſita ſunt ferri & magnetis corpora ita tamen natura in iis continuatur, ut etiam conveniant in ūnum. Idem naturæ cognationem dixit. Bapt. Porta conſenſum: alii concentum & ſymphoniam per Metaph. alii naturalis benevolentiæ nexum. Antipathia rerum mutua quædam affectio eſt, quâ ſe averſantur. Gal. & Plin. pugnantiam vocant atq; diſcordiam: alii diſſenſum, inimicitiam, diſſidium, ſimultatem: qui verò etiam per qualitatem infeſtam eam definiunt, qua mediante mutuis ac cæcis diſſidiis ſe res naturales quædam afficiunt, non procul à veritate recedunt, ut nec hi, qui reſiſtentiam, quæ videlicet reſiſtit vel impedit, ne actio ab agente in

Antipathia.

te in patiens possit introduci.

Virtutũ attractio & deductio unde?

Quemadmodum igitur ex sympathia superiorum & Cœlestium virtutum oritur attractio, & in locum terrenum inferioremque deductio, ità ex antipathia resistentia. Unde Platonici Magiam vocarunt attractionem unius rei ab altera, ex naturę quadam cognatione ortam.

Jam vero mundi hujus partes omnes, ceu unius animalis membra, ab uno pendentes authore & principio, unius naturæ conjunctione invicem copulantur, ideò, sicut in nobis cerebrum, cor pulmones, jecur, & reliqua à se trahunt invicem aliquid, mutuoque se juvant, ut uno illorum aliquo patiente compatiantur, ita etiam ingentis hujus animalis membra, id est, omnia mundi corpora connexa similiter mutuant invicem

natu-

naturas & mutuãtur, & ex communi hac cognatione communis naſcitur amor, & ex amore communi communis attractio. Hinc magnes ferrum, Sol flores multos ad ſe trahit, hinc plantę Heliotropiæ ad Solis, Selinetropiæ & Luniſequæ ad Lunæ motum vertuntur.

Cur Magnes trahat ferrum.

Quamobrem in terra aſpicere licet quidem Solem, Lunám & reliqua, ſed pro qualitate terrena, in cœlo autem & lapides, & plantas, & animalia, ſed pro natura & modo cœleſti, ut ita in infimis ſuprema, & hæc in illis ſint agnoſcenda & quærenda. Fatali enim lege Deum ſanciviſſe, ut inferiora ſupernis ancillentur, formamque unicuique ſuam ſidereo lapſu viribus cumulatam immiſiſſe, & ne cõtinua deſiſteret rerum procreatio, ſingula ſemen proferre juſſiſſe,

siſſe, ut quæ mutationibus obnoxia eſſent, continua ſerie & lege generarentur ac corrumperentur, nemo inficiatutus eſt, niſi ſacris pariter & profanis monimétis contradicturus, naturæq; ordinem deſtructurus, ut ita ſpectabilem illam in animalibus, mineralibus & vegetabilibus ſympathian ac antipathian, non aliunde dependere, quam ex cœleſti ſyderum influxu impreſſione neque, pro uniuſcujusque ſpeciei conſtitutione, individuis vel omnibus, vel pro ſingulari complexionis gradu aliquibus tantum ſpeciei ejuſdem congenita, omnino ſtatuendum ſit. Unde cum Sapphyrus oculos non lędat, repertus tamen unus eſt qui prima applicatione aciem viſus obtudit. Et in Auſtria Gemelli ſolis objectis ad januam corporis lateribus feras ape-

Sympathia ac antipathia rerum unde?

aperiebant, quod certe admiratione non caret.

Verum quibus medijs res quædam naturales ſibi copulentur invicem, difficile eſt hîc dicere ex Philoſophia communi. Quod enim alteri conjunctum eſt, aut eſt ejus eſſentia: aut eſſentiæ proprietas, aut ineſt ei ut forma ſubjecto, aut id attingit, vel ſicut tranſmutans, id quod tranſmutatur, vel ſicut ars ſubjectam ſibi materiam. Moſes dilucidè quinque invicem connexa expreſſiſſe videtur. Cœlum & terrã, terram & inanitatem, abyſſum & tenebras, Spiritum Dei & aquas, lucem & corpora. Primus igitur connexionis modus deſignatur per terram inanem & vacuam. Vacua enim & inanis terra eſt materia ſua, niſi formis aliunde adimpleatur.

Modi quibus res naturales invicẽ affinitatem vel copulã nanciſcantur.

Secun-

Secundus connexionis modus per tenebras ſignificatur ſuper faciem abyſſi.

Tertius per lucem corporibus oboritam.

Quartus per cœlum & terram, illud enim huic coinjungitur ut efficiens patienti, & tranſmutans cauſa corpori tranſmutando.

Quintus per ſpiritum Domini.

Sed videamus quomodo hæc ſe habeant in nobis. Terra terrenum corpus eſt, inane vita, vacuum ſenſu, ſuperque ipſum ſunt tenebræ, torpor, mors, inſenſatio, immobilitas.

Lux vita eſt, quæ illud vegetat, movet, excitat, ſenſuque reddit præditum.

Cœlum animus eſt & fons illius lucis.

Spi-

Spiritus Dei intellectus est, lumen divini vultus. Ratio igitur hujus connexionis & cõsequentiæ est, corpus esse inane ex se, suas habere tenebras, tum proximè jungi luci, per lucem connecti cœlo, per cœlum substantię spiritali, ut videre est ex sequentibus.

Abyssus.
Tenebræ.

Inanis vitâ. Terra, vacua sensu.
Lux *Vegetans, vitamq; reddens.*
Cœlum lucis fons,
Spiritus.

VIden' quo ordine res creatæ affinitatem invicem consequantur? Viden' naturalis benevolentiæ nexum ac copulam? Ecquænam vero hæc philosophia est, inquit aliquis? Non certè vulgaris illa, quæ ex sensu, materia, & qualitatibus manifestis omnia

dijudicat, ſed cœleſtis, abſtruſior, ſcilicet & profundior.

Inter corpus & animam ſubſtantias longe invicem diſtantes, opus certe fuit medio vinculo, quod tàm diſtantes naturas invicem copularet, cui muneri delegatum eſt tēnue illud & ſpirituale corpuſculum, quod & Medici & Philoſophi Spiritum appellant. Hunc ſpiritum copulantem divinorem eſſe quàm elementa, cœloque reſpondere proportione ipſe Ariſtoteles ſcribit: Et quemadmodum omnis cœlorum virtus vehiculo lucis transfertur ad terram, ita omnis animi poteſtas, vita ſcilicet motus & ſenſus lucido Spiritu intercedente, ad corpus terrenum commeat & transfunditur. Ut autem ea quæ dixi, majorem mereantur fidem, memorabilia quædam antipathi-

as ac

as ac ſympathias exempla ex non levis autoritatis autoribus in medium ſunt producenda. Quod dum facio, rogo ut audiar benignè & cum attentione.

Illuſtria antipathias exemplà.

Ac primò quidem ſpectabilis antipathia in venenis cernitur. Non enim omni veneno, teſte Gal. l. de antid. quodlibet adverſatur antidotum, ut enim ſua cujusque veneni ſpecies, ita ſua cujusque eſt antidotus.

Contra Toxicum Scytharum, quod conſtabat ſanguine humano & ſanie viperina, quo ſagittas & tela inficiebant, irremediabile ſcelus, mortem levi tactu accelerans, Cantharides peculiarem habere vim traduntur, quibus ſi adverſus alia venena quis uteretur, nihil certè efficeret, teſtante eodem l. de antid. cap. 29. Paulo Æginetha l. 5. &

Dioſcor. circa lib. 6. initium.

Paſtinacæ marinæ ſeu Trigonis radio ſuper caudam eminente nullum uſquam eſt venenum arborib. execrabilius, radici enim infixum eas enecare, armaque ut telum perforare, vi ferri & veneni malo Plin. l. 9. c. 48. autor eſt.

Aconito rutham adverſari maximè idem l. 20. c. 13. Laſerpitium telorum & ſerpentum venena extinguere. l. 22. c. 23. adamantem venena facere irrita madendo, lymphationesque abigere l. 37. cap. 4. prodidit. Et autoritate ſuffragatur experientia. Scribit Galenus l. de theriaca ad Piſon. trifolium coctum demorſis à vipera impoſitum dolores tollere: at ſano cuipiam impoſitum dolores afferre, quales à vipera læſi patiuntur. Scaliger exerc. 353. ſect. 5.

hujus ſecreti reddit quidem rationem, ſed magis pro ingenio ſuo ſubtilem, quam veram. Hæc de venenis.

Sed quid dicam de invicta illa adamantis viduarum violentiſſima naturæ rerum contemtrice, quæ hircino rumpitur ſanguine, nec aliter quàm recenti calidoque macerata.

An non hoc præclarum naturalis diſſidij ſpecimen eſt? Cujus hoc ingenio inventum? quòve caſu repertum? aut quæ fuit conjectura ſaltem experiundi rem immenſi ſecreti, & quidem in animalium ſordidiſſimo nimirum hirco. Numinum profecto muneris talis inventio omnis eſt, inquit Plinius, nec quærenda in ulla naturæ parte ratio eſt, ſed voluntas.

Cum magnete quoq; ada-

mantem tantum diffidere graves autores tradunt, ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.

Leo cunctis animalibus tremendus, qui nec tygrim metuit nec ursum, gallum tamen his longè imbecilliorem expavescit. Quærit aliquis causam naturalem? An quia in oculis galli est vis quædam, ut quidem existimant, oculis leonis contraria? Certè hujus rei causam nõ à materia, non à sensib. licet assignare, aliâs in labyrintheas perplexitates devolveremur, sed solùm ab ordinis superni contemplatione. Proclus lib. de Mag. hanc affert veritatem: Sunt, inquit, animalia solaria multa, ut leones, galli, luminis cujusdam solaris participes. Gallus igitur timetur

à Leo-

à Leone, quia præsentia luminis solaris magis convenit gallo quàm Leoni, quod inde apparet, quod gallus quibusdam quasi hymnis applaudit surgenti Soli: quandoque etiam dæmones solares visi sunt leonina fronte, quibus cum obijceretur gallus, repente disparuerunt, quod quidem inde procedit, quia semper quæ in eodem ordine constituta inferiora sunt, cedunt superioribus seu reverentur superiora. Hæc Proclus.

Aranei cum bufone & serpentibus dissidium notum est: hoste enim conspecto filo se librat in caput serpentis porrectæ sub umbra arboris suæ, tantaque vi morsu cerebrum apprehendit, ut stridens subinde, vertigineq; rotata, nec filum desuper pendentis rumpere, adeoq; fugere

Fraxinus & serpens.

nequeat, nec finis ante mortem.

Fraxini & serpentis antipathia tanto experimento prodita est, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras etiam longissimas arboris hujus serpens attingat, adeoq; ipsam procul fugiat, sique arboris fronde accensa gyro claudatur serpens, in ignem potius quàm in fraxinum fugiat.

Sed ad vegetabilia pergo, inter quæ conspicua quoq; & evidens simultas est. Nam quercus in oliveto nata fugit, introrsum commeat, & exarescit, olea v. in querceto radices maximè relinquit noxias, quercusq; enecat. Eadem juglandem juxta sata aut emoritur ipsa, aut infirma semper est, aut juglandem nucem talem efficit. Quin & nucis umbra omnibus satis est inimica, & quæ-

quæcunque attigerit, veneno invadit ilicò, nocetque ſtillicidij ratione, cum humor è frondibus diffunditur.

Sic braſſicæ & vitis odium ſpectabile eſt. Vitis enim cum intortis claviculis omnia ſoleat complecti, ſolam refugit braſſicam, nam propè eam ſentiens, in adverſam ſe torquet partem, dumque coquitur braſſica, vinumque vel ſi pauciſſimum inſtilles, nec coquitur, nec color ipſius conſtat: ipſum verò olus cyclamino & origano perareſcit, & vitis lauri odore evadit deterior, cicutaq; vino obtunditur.

Polipodium cancro adeò eſt antipathieticum, ut hic illi admotus tum integentes cruſtas, tum ungues abijciat à pedibus. Filix & arundo in tantum ſibi adverſantur, ut neutra juxta ſe

alteram ferat, unde nec in arundinetis filices, nec in filicetis arundines videntur.

Alyſſum, hypericum, & moly herbas in tantum malignis ſpiritibus antipatheticas eſſe, ut quemadmodum luporum capita januis affixa, ſic has herbas in ædibus ſuſpenſas, ab hominibus & pecore, veneficia, ne faſcinentur, arcere, graviſſimi autores tradunt, Homer. Odyſſ. 10. 11. Plin. l. 28. cap. 10. Dioſcorid. l. 3. c. 17. Unde Homerus Magiæ peritiſſimus Mercurium contra veneficia Circes Moly herbâ Ulyſſem muniviſſe cecinit. Et in Hiſtoria Tobiæ, ut ſacra etiam huc referamus, legitur, angelum cordis particulam, piſcis è flumine extracti docuiſſe Tobiam ſuper carbones proijcere, ſicq; excitato fumo omne dæmoniorum ge-

nus

nus extricari tam à viro quam muliere. Proinde his & ſimilibus Periaptis & amuletis, quæ ratione nituntur naturali, fides non eſt deroganda, de quorum ſcilicet ſubſtantia, profluvia inſpirata vires corporis reficere, venenisque poſſunt reſiſtere.

Sic Peoniæ albæ radix & alcis ungula epilepſiæ, ſemen melanthii catarrhis antipathetica ſunt: ſtercus lupi doloribus colicis, non quidem ut ineptè & inſcitè quidam putant, incantationis viribus, ſed quod ab illorum ſubſtantia vapores quidam velut atomi defluunt, qui inſpirati cerebrum ſiccent, morbique cauſam ſuis viribus alterent. Unde Galenus experientia horum edoctus, periaptis, inquit, hîc confidere oportet, ut ſubſtantia ipſorum, non incantationis verba,

juvet l. 6. & 10. de simplic. medic.

Contacta tridente torpedine marinâ, piscatoris manus obstupescere, & Echneida piscículum, quamvis velocem ventorum agitatæ procellâ navis cursum sistere videmus, non quidē incantationis verbis, sed ob causas modò commemoratas. Stupendum certè naturæ miràculū, minutissimum etiam piscículum, qui maris & terræ portenta sua natura superat, remis velisque concitatam navim quantumvis magnam, non alio modo quàm adhærendo remorari.

Videatur Plin. l. 9. c. 25. & l. 32. cap. 1. Fertur Actiaco Marte tenuisse imperatoriam navem Antonij, properantis circuire & exhortari suos, donec transiret in aliam, ideoq; Cæsariana classis impetu majore protinus venit.

Te-

Tenuit & noſtrâ memoriâ Principis Caij ab Aſtrua Antium remigantis. Quin & auſpicalis piſciculus eſt, ſiquidem noviſſimè in urbem reverſus Imperator ille, ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cum è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinus, qui id quærerent, circa navim invenerunt adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Cajo, indignanti hoc fuiſſe quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe incederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus. De hoc Laurentius Lippius Oppiani interpres, eruditè luſit his verſibus.

Pellebant velis pellebant remige navem,
Ventus erat, cœptum sum remoratus iter.
Solus ego Actiacam potui retinere carinam,
Et potui Caij rostra tenere ducis,
Semipedalis ego: quis hæc corpuscula credat
In cursu tantas detinuisse rates.

Fatendum certè, naturam hic abstrusam, & sensib. inexplicabilem. Præter enim ea quæ dicta modo sunt fatale quoddam indicium & præsagium in eo observatum est, quasi futuri mali præscio periculum imminens cupienti avertere. Tenuit legatos Periandri de castrandis pueris nobilibus, tanquam indignum judicante natura homini, id, quod conservationi ipsius donatum

tum esset, auferre, iccirco navem inhibuit & à cursu revocavit. Tenuit navem Caij Cęsaris non multo post Romæ interfecti, condolens misero Cæsaris exitio ipsa natura cupijt ab ipso malum avertere, atque ab infausto cursu revocare. Hæc de Echneide fere omnia ex Plinio.

Cœterum in experimentis est, hirundinis cor palpitans devoratum memoriam deperditam restituere, adq; ingenium valere & intelligentiam:

Cor turturis vivum calensq; comesum ad febres intermittentes omnes.

Anatem vivam ventri admotam compescere tormina.

Viventem aranèam juglandis testis inclusam colloque subnexam pellere quartanam: ranarum oculos ante Solis ortum e-

rutos,

rutos, vivis illis in aquam dimissis, alligatos, sicut & unguium præsegmina in pedibus & manibus febricitãtis, cancri vivi dorsõ superligata, cumq; eo in aquã fluentem projecta, tertianas febres:

Talpæ viventis dentem odontalgiam sanare contactu:

Hominis calvam mederi epilepsiæ.

Osticulum è poplite leporis nephritidi & spasmo flatulento.

Intestinum lupi colicis doloribus.

Cor corvi gestatum ad inhibendum somnum, cor vespertilionis ad eundem valere accersendum:

Ossa capitis equæ fugare erucas palo in hortis affixa:

Graminis genus, 7. habens internodia, efficacissimè contra capitis dolores adalligari.

Her-

Herbam, canis urinâ irrigatam, evulsam, ne ferro tangatur, luxatis mederi celerrimè:

Florente cicuta & violis, si qui morbi homini acciderint, quoties florere eas herbas contigerit, licet sanatum, recidivam tamen quandam eorum sentire compertum est. Non prætereunda hîc, quæ Plin. lib. 24. cap. 17. & 19. Item libr. 25. cap. 4. & libr. 26. cap. 4. ex Pythagora, Crateva, Democrito, Apollidoro, Cleemporo Medico & aliis recenset, de mira quarundam herbarum efficientia ac virtute. Adamantide herba, Armeniæ & Cappadociæ alumna, admotâ, leones resupinari cum laxo hiatu:

Arianide, quæ in Arianis nascitur colore ignea, collecta Sole existente in Leone, ligna accendi tactu oleo peruncta:

Æschy-

Æschynomenem, appropinquante carpentis manu contrahere folia.

Theangelide in Libano Syriæ, Babylone, & Susis Persidis proveniente, pota, homines divinare.

Gelotophyllide in Bactris & circa Borysthenem nascente, & potâ cum myrrha & vino, varias observari species, ridendique finem non fieri, nisi potis nucleis pineæ nucis cum pipere & melle in vino palmeo.

Æthiopiden in Meroë crescentem hydropicos utilissime bibere è mulso.

Ophiusam in Elephantine Æthiopiæ conspicuam, potam, terrorem ac metum serpentum imprimere & quandoq; ex eo mortem, obque id sacrilegos cogi illam bibere: adversari autem vinum palmeum. He-

Helianthe in Cilicię montibus maritimis cum adipe leonino decoctâ ac inuncta, corpus aſpectu reddi jucundum ac venuſtum, Perſarum regibus in frequenti olim uſu.

Crocidis contactu phalangia mori:

Oenotheridis è vino aſperſu omnium animalium feritatem mitigari:

Herbam in capite ſtatuæ natam alligatam in lino ruffo, capitis dolores ſedare confeſtim.

Herbam quæ naſcitur ſupra fimeta ruris, efficaciſſimè pollere contra anginas ex aqua potam:

Contra ſumma veneficia pollere Moly laudatiſſimam herbatum Homero, circa Pheneum & in Cyllene Arcadiæ provenientem: & Dodecatheon herbam omnibus mederi morbis aqua potam,

tam, quæ maximam etiam à Moly autoritatem obtinuit.

Æthiopide amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri.

Achimenide conjecta in aciem hostium, trepidari agmina, ac terga vertere.

Latacen, à Persarum Rege dari solitam legatis, ut quocunq; veniissent, omnium rerum copia abundarent.

Æmilianum Scipionem Carthaginis patefeciisse portas peculiari herba, & pontinas paludes Æthiopide siccatas antiquæ historiæ memorant: Et quis occulta naturæ insignia omnia attigerit? Quis vero causas hîc explicare unquam valuit? aut quæ saltem fuit conjectura omnia hæc experiundi? Verè numinis cujusdam muneri hanc inventionem

acce-

cceptam ferunt naturæ Prudentes.

Atqui ex hoc fundamẽto pendent quoque phÿsicæ ligaturæ, ut cum præsentiâ adamantis Magnetis actionem, ne ferrum trahat, & oleum ne succinum paleas alliciat, sistit, cohibet & ligat. Quemadmodum igitur, si alterum cum altero conspicitur habere inimicitiam ad noxas, quas illud inferre posset, usum ejus esse posse veteres pro remedio arbitrati sunt, in quo etiam successus favit conjecturæ, sic in sympathiis occulti aliquid venerari licebit quod ad aliquod malum amovendum vel expellendum vires habeat socias. *Physicæ ligaturæ.* *Sympathias illustria exempla.*

Et quidèm herbarum cum astris, consensus admirandus spectatur quotidiè. Evidentissimum Solaris præsentiæ testimonium & *Mysterium Solis in corio,*

docu-

& hujus in hydro pisi.

documentum præbent cichorii flores, Epaticis affectibus singulare remedium, qui Sole Oriente se expandunt, eodem occidente se contrahunt.

Lupinus quotidiè cum Sole circumagitur, ita ut nubilo etiam cœlo agricolis horas monstret: similiter & malva motui se Solis accommodat. Pulegium in coronariis florere ipso brumali die pleiadibus occiduis, quis non animadvertit?

Veratrum nigrum adulterinum, flores circa Decembris finem in viridi flavescentes proferre, conspicuum omnibus est.

Laurum & ficum è cœlo non tangi, sicut nec vituli marini tergus, nec hyænæ pellem, nec vitim albam autores nõ proletarii prodiderunt, quare nautæ iis vela muniunt, ne fulmine icta deflagrent

grent atque decidant. Hoc Octa-
vius se muniebat Augustus, Lau-
do Tiberius Cæsar, quam pro co-
ona gestabat, ne uterque scilicet
onitru afflaretur, non solum e-
nim contra fulminis impetum,
erum etiam adversus fulminis i-
tum retorquentem habent na-
uram. Sed mirabilis est Sympa-
hia illa inter metalla & divinam
irgulam seu bifidum illum sur-
ulum ex corylo decisum, quo
netallarii venas auri argentique
eraces explorant, frustra certe
uis hic ad manifestas qualitates
onfugerit.

Verum enimvero Orphæo,
Theophrasto, & Proclo judici-
ous, lapidibus longe efficacior
um astris & spiritibus consen-
us est quam herbis, non astro-
um enim nominibus, sed animis
uoque hominum imperitare vi-
dentur.

dentur. Nam jaspis non modò sa-
crificia diis reddit accepta, sed
Achates animos conjugum con-
ciliat, & supplices voti quoque
reddit compotes. Et lapides vir-
tutis astrorum consortio frui; ne-
mo inficiabitur, qui ferreũ com-
pasti perpendiculum, cujus obtu
tu atque inspectione naucleri
velificatio perficitur, magnet
confricatum, Septentrionalis po
li stellam semper spectare anim
advertit, & qui Selenitin lapidem
ex Arabia candidum, pro Lun
incremento crescere & decre
scere observat.

Ferreũ compasti perpendiculum & polus arcticus.

Selenitis & Luna.

Turcosia gemmá, quoties mu-
tari, atque expalleſcere, nativoq
calore destitui conspicitur in ge-
stante vel langueſcente vel vale-
tudinario? Sed magis stupendum
quod imminens periculum colo-
ris hujus gemmæ in fuligino sum

vel

vel ſereniſſimi cœli contrarium mutatio, vel etiam máculæ alicujus aut fiſſuræ apparentia præſagire dicitur.

Smaragdum adverſus febres valere & venenum, autores non levis autoritatis tradunt, imo frangi, ſi à veneno vincatur, rumpi quoque in prima virginei pudoris excuſſione, ac quovis illegitimo coitu inquinari, nitoremque amittere, quo oculorum laſſitudinem demulcere ſolebat. Deperit enim vis inſita omnisq; nitor ſordeſcit. Itaque dubium nullum eſt, inviſibilem latentemque vim gemmas ejaculari atque evibrare. Licet enim ſint res ſolida, calor tamen nativus, & confricatio contactuſque vim eliciunt, cordiq; ac cerebro illam cõmunicant. Hanc vero aſtrorum &

Smaragdus.

Exemplum antipathias.

lapi-

lapidum Sympathian, seu convenientiam non puto quenquam fore, qui ad manifestas qualitates sit relaturus, cum sint saltem umbræ rerum, & instrumenta organaque naturæ cujusdam sublimioris ac præstantioris, prætereaq; nec odores habeant, nec colores, similesque potestates, ut ita injurius sit in naturam injusta ac fallaci quatuor qualitatum censura omnia explorare. Medicamenta quædam à similitudine prodesse, miroque modo à morbis liberare, quotidiana documenta testantur & experimenta, ob nullam causam aliam, quam quia unum alterius Anatomiam habet & signaturas. Atq; huc pertinet modus demonstrandi per similitudinem, quo sæpè summus rerum Creator divinas ac occultas res solet patefacere, ut supremam id-

earum

earum ſimilitudinem referant atque demonſtrent.

Omnes enim herbæ, flores, arbores, aliaque ex terra naſcentia ſunt ſigna magica à Deo conceſſa, per quorum cognitionem ad veram medicinam id eſt, ſignatum pervenitur. Signa igitur quæ natura externè prodit, intrinſecæ cujusdam ac latentis virtutis indicia ſunt, ſemperque ſignatum internusque nucleus per externam phyſiognomiam deſignatur. Hinc multorum morborum curatio, quia promanant ab aſtrali impreſſione firmamenti majoris mundi, non promiſcuis remediis perficienda eſt, ſed per influentiam aſtronomicam, id eſt, per ea vel cum iis quæ analogiam habent ad majorem & minorem mundum, in quibus eſt vera magnetica vis firmamenti, & im-

preſſio cœleſtis morbis reſiſtendi. Hanc influentiam ac ſignaturam à ſtellarum complexu ac radiis plantis quibusdam illis ſubjectis, videmus impreſſam, quæ in hypericone ac perſicaria eſt evidentiſſima maximeq; conſpicua, illud enim exilibus foraminibus perforatum, hæc foliis maculâ rubentibus, ac ſi gutta ſanguinis ſuper ea decidiſſet, cernitur.

Ejusmodi quoq; ſignaturæ reperiuntur, in aro, dracunculo & aliis, morborum cognitioni maxime inſervientes, ut ita non ſufficiat Botanico naturasque herbarum inveſtiganti, in externis ſignaturis acquieſcere, hoc eſt, externa tantum plantarum veſtimenta diverſoria & habitationes deſcribere, internum autem illud principium operandiq; vir-

virtutem, quæ est creatoris imago creaturis implantata, somnolento & noxio præterire silentio. Omnino enim necesse est, in rerum natura dari aliquid, in quo rosa latitet hieme, quod scilicet elementis utcunq; etiam modo corruptis, specierum signaturas inviolatas contineat, adque novorum individuorum procreationem servet incorruptas, alioquin novæ rerum species produci non possent. Id vero nihil aliud est quàm balsamum radicale, vitale, spirituale, cœleste, actionum omnium in natura principium, cui uni & soli accepta sunt ferenda, quæ nec crasi elementariæ, nec sensui nec manifestis qualitatibus assignari possunt & debent. Hoc enim in corruptionibus rerum non interit, sed elementis & mixtis qualicunq; etiam

Quæritur, rosa ubi latitet hieme?

am modo dissipatis, servatur. Sic granum, quod terræ committitur, putrescit, resolvitur, perit, ac radicale balsamum servatur, in quo totius seminis anatomia & potestas viget, novaq; revolutione in mundanum theatrum progrediens novum fabricat corpus, officiis destinatis accommodatum. Hocipsum principium variis nominibus appellatur, ab aliis dicitur enim balsamus universæ naturæ, sulphur vitale, radicale semen, materia prima, mumia balsamita. Delitescit autem non in alimentario quo perfunditur humore, nec in fæculentis & crassis sordibus, sed in excellentiori quadam humiditate deprehenditur, quoniam externis injuriis impressionibusq; magna vi solet resistere, specierumq; signaturas inviolatas ad novorum

indivi-

individuorum productionem conſervat. In animantibus & plantis univerſam corporis anatomiam animale hoc balſamum occupat, in certis tamen animantibus certam magis partem ut cor, proq; diverſa impreſſione, tinctura & confluentia, proprietate, & differentiis diverſas quoq; producit actiones. Hujus igitur balſami virtute plantæ quædam partesq; animalium morbis quibusdam antipatheticæ ſunt, hujus inquam balſami vi ac virtute, animalium quorundam partes corporis humani partibus ſunt ſympatheticæ, juvando illa, corroborando atq; in vigore radicali conſervando: teſtatum id facit medicamentum à me confectum, liquor ſcilicet ille potabilis, cordis vitæq; ſpiritibus gratiſſimus, debili memoriæ ro-

borandæ, judicioq; firmando, cerebro præterea vertiginoso, paralytico, ac epileptico sanando, colicæ flatulentæ ac frigidæ, nec nõ podagricis chiragricisq; infirmitatibus & doloribus profligandis, (absit fucata jactãtia, quotidianis enim experimentis id patefactum habetur & compertum, & testabuntur sanati) accommodatissimum.

Secretũ autoris, cerebro catarrhoso conveniens.

Hoc est medicamentum, cui præparando integra fere æstas danda est, omnis vulcanicæ violentiæ, corrosionis & malignitatis expers, constatque ex merè vegetabilibus, animaliumque quorundam partibus. Huic recte cõcinnando nunc denuo incumbo, ut quocunque tempore id petitum fuerit, ejus apud me possit esse copia.

Ac licet quidam hoc meum in-

ven-

ventum, superciliosa quadam fatuitate sibi omnia tribuentes sint derisuri, aliis persuadentes, non posse Hippocratis aut Galeni aſſeclas, nisi ex Paracelsico aut Lullianio commentario sapere, malo tamen ἐν τῷ ἔργῳ & experimento cum omnibus iis, qui eo ad nominis Divini celebrationem, & dictorum morborum profligationem utuntur, & usuri sunt, acquiescere, quam blandis ac bracteatis, ut illi faciunt, verborum lenociniis, mundum decipere. Sed ad priora. Hoc igitur radicale principium, has inquam rerum signaturas qui neglexerit, nec intimius inspexerit atque cognoverit, medici nomen non meretur. Et certè si per nihil aliud, hujus tamen mysterii cognitione admirabilis in sua arte evadit medicus, quod Hippocrates,

de iis pronunciat, qui morituros & salvandos prænoverint.

Signaturæ morborum.

Morbos singulos habere sua signa morborum cognitioni inservientia, negari non debet, eademque quoque signa reperiri in remediis à natura ita signatis, ut in totum & verè dixisse liceat, hic morbus est hujus remedii morbus, & hoc remedium est hujus morbi remedium, ut tussilago est remedium obstructi pulmonis, quia gerit ejusdem signa, lingua cervina & scolopendrium infarcti & tumefacti splenis remedium sunt, quia splenis exhibent signaturam. Unde apparet, ex signis remediorum naturas cognosci posse, Sympathiasque ac antipathias mysterium, tum rerum tum qualitatum medico maximo esse emolumento, proindeque secretioris ejusmodi philo-

sophiæ

ſophiæ peritos, ſagaceſque rerum naturalium exploratores admirandas actiones poſſe producere.

Et quoniam modus ut in aliis non utique manifeſtus eſt ac evidens, ſed occultatus, miraculoſarum illarum actionum cauſam dæmonum præſtigiis aſſcribunt imperitiores, tali ſc. Magiæ, quæ Goëtia dicitur, à luctu, & dæmoniaca, eſt enim malorum ſpirituum juxta ſepulcra invocatio, cujus germana ſoror eſt Necromantia, quæ ad vocandos defunctorum manes ſanguinem humanum, quo dæmones effuſo delectantur, vel ſaltem nigri pecoris cruorem requirit. *Magia vetita quæ?*

His Magiæ ſpeciebus imbuti multa faciunt, quæ nullo modo per cauſas & media naturalia effici potuerunt, ſed neceſſariò referri debent ad ſubſtantiam ali-

quam incorpoream, quæ occulte cum ipsis magis operatur: faciunt enim statuas è ligno vel alia materia loqui, & ad propositas quæstiones respondere, moverique loco progressivo: deinde manifestant etiam quædam occultissima, & quæ humana eis ratione nota esse non potuerunt, ut res quæ geruntur, vel dicuntur in remotissimis regionibus, quæque quis dixit vel fecit: Hæc autem esse mentis cujusdam sublimioris opera, quàm est humana, prædictasque operationes non perfici causis naturalibus, sed supra omnis corporeæ naturæ potestatem esse necesse est.

Vera Magia & naturalis, quæ causis nititur naturalibus, licet non ita sensui obviis, sed abditioribus & reconditis, nihil aliud est, quàm lapidum, quàm herbarum,

rum, quàm mineralium, quàm animalium, quàm astrorum cum his consensus vel dissidii scientia, quam exactè callere & didicisse sapientiæ opus est, legi divinę non contrarium.

Et hanc magiam quam omnes sapientes, rerumq; cœlestium & sublunarium solertissimi indagatores semper approbarunt, ut quę in operum Dei admirationem explorantem ducat, qui callent, multarum abstrusissimarum rerum scientiâ clarebunt, quamvis paucos hodie invenias, qui exactam hujus cognitionem habeant, nisi perditos quosdam ardeliones, qui ob pecuniæ aucupium animas dæmonibus devovent, mentiri non erubescunt, omnia se scire & præscire glotiantes, sicq; veram magiam nefandis nugis defœdan-

tes, & cum Goëtia confundentes.

Cæterum, quod in præsenti nostro instituto minimè prætereundum fuit, non parum enim lucis afferet & veritatis, ad mysterium nostrum ulterius explicandum, in experimentis non fallacibus est, operationem aliquam esse & virtutem annulorum confectorum ex auro, argento, auricalco, aut quovis metallo, stellæ, cujus quis sibi virtutem conciliare cupit, dedicato, defixo in annuli cavitatem cum subjecta herba stellæ huic Sympathetica, lapide: his enim animum exhilarari, morbosque profligari graves autores tradunt, Trallianus, Gordonius, Mesue & alii.

Occulta annulorum sub certo astro sculptorumvis.

Sic Gyges Lydorum rex annulo suo lapidem Draconis capite exemtum incluserat, sese, Regem & astan-

& astantes occisurus, ut impune cum Regina concumberet, invisibilem reddidit. Et Alexander Trallianus Herculis imaginem Leonem suffocantis annulo inclusam colicis medere scribit. Ferunt & Eudæmum Philosophum annulos contra serpentum morsus, fascinationes & morbos concinnasse. Tradit quoq; Josephus l. 8. antiq. c. 2. Se vidisse præsente Vespasiano Imperatore, Eleazarum quendam de gente Hebræa, naribus cujusdam obsessi, annulum, cujus signaculo radix à Salomone reperta, erat subdita, applicuisse, dæmonemque de naribus odorantis extraxisse, qui cum repente in terram concidisset, Eleazar conjurationis Salomonis Cantico dæmonium proscripsit. Idem Salomonem Magiæ fuisse peritissimum, & Mosen Hebræ-

orum legislatorem in Ægypto Magiæ initiatum annulos amoris & oblivionis feciſſe, annulumq; oblivionis dediſſe Æthiopiſſæ, ut ipſius oblivisceretur, quo etiam facto in Ægyptum liberè ipſum remigraſſe prodidit, non quidem ſuperſtitioſa dæmonum magia, cujus eum accuſabant Apollonius & Lyſimachus, verum à Joſepho propterea refutati, ſed ea, quę per ſacrosancta nomina & precationes, angelorumque bonorum implorationé perficiebatur. Teſtes Euſebius de præpar. Evang. l. 8. c. 2. Joſephus contra Appion. in Act. Apoſt. c 7. Plin. l. 3 c. 1. Magiam quoque ab Ægyptiorum ſacerdotibus didiciſſe & calluiſſe Empedoclem, Pythagoram, Democritum & ipſum Platonem in confeſſo eſt.

Unde non omninò vana eſſe elici-

elicitur, quæ de cura characteristica, quæ sculptis imaginibus & de collo appensis naturales operationes perficit per cœlestes proprietates siderum, mirabili influentia cum nostris corporibus cõcordantium, non inquam plane vana sunt, quæ antiquissimi naturæ exploratores de verbo scripto seu characteribus & sigillis, certis temporibus secundum cœli virtutem & influxum fabrefactis, citra omnem, quam sola mysterii hujus ignorantia finxit, superstitionem, citra nominis divini prophanationem & offendiculum, ullamque fidei ac religionis violationem, literis monimentisque consecrarunt, quæ hactenus postremisque hisce temporibus occultata & abscõdita delituerunt, altoque silentio compressa fuerunt, apud quosdam, qui illis sunt

abusi

abusi potius quàm legitimè usi, cum ad superstitiones prolapsi, primordia non intelligentes, plus iis tribuere sunt ausi, quàm rerum omnium creator Deus concessit, voluitque esse per ea patefacta; Tantum vero abest, ut hisce imaginibus per se virium quid tribuam, characteresque seu nomina constellata virtutem habere ratione figuræ, affirmem (cum figura, numerus, magnitudo, situs, continuique solutio nullius sunt actionis principia) ut, nisi aliud sit agens movensque, cujus potestate characteres sunt efficaces, plane negem. Tamen invidiæ fenestrâ patefacta lucem ea videre sum passus, ut cognitio veri, quæ bonum quoddam & perfectiò intellectus est, eluceſcat, ac clarius cernatur, quantum inter veras & Physicas signaturas & super-

Abusus & superstitio damnatur.

N. cur Imaginum hic fiat mẽtio?

perſtitioſas ac illicitas interſit, tum ſpeculativè & noſcendi tantum causâ, nõ etiam utendi ſemper & exercendi modo, quædam ſcire licitum eſſe & conceſſum. Nulla enim virtus vel in cœlo vel in terra quæ nõ deſcendat à Deo: ſic medicamenta ſunt corpora viſibilia, verba corpora inviſibilia, ſive herba ſive verbum ſanet, in cauſa eſt Deus, id eſt, ſpiritus Dei naturæ coadunatus per verbum fiat. Unde ipſa herba non eſt medicina, ſed hæc in illa latet inviſibiliter à Deo videlicet inſita. Quâ propter non protinus ad orcum uſque ſunt damnanda, inſulſéque deridenda, quæ à ſenſibus ſunt remotiora, & cauſas habent abſtruſas. Gemmarum miracula quis non obſtupeſcit? Plurimas certè iis ineſſe facultates naturales negari non poteſt nec debet,

Quomodo characteres ſint efficaces?

præ-

præsertim si certis sub constellationibus sculptæ, imaginibusque ac signaturis impressæ fuerint & signatę. Ac planè vanum est, quod quidam putant, effectus gemmarum quarūdam provenire vi magica, nec naturales esse, proficiscique ex Magorum schola, qui prætextum suis veneficiis quærant per gemmas certis constellationibus sculptas. Smaragdum mortui Domini digitis, quibus fuit gestatus, obsilire, cognitum est & compertum. Turcosiæ quoque vires quis non miratur? Et innumera possunt non tantum gemmarum, sed etiam plantarum experimenta concervari, quæ si non ubique, & semper respondent, nō arguenda ideo sunt mendacii, quia non omnia ubique & semper concurrunt, & raritas effectus seu singularitas effectus

Taxatur quorundam vanitas, & inscitia.

non

non tollit cauſam in natura. Re- *NB.*
rum enim miracula perpetrantur per debitam cauſarum naturalium agentium cum diſpoſitis patientibus applicationem, adeò occulte, ut cauſa videatur remotiſſima. Itaq; veſanum eſt diabolicis machinamentis protinus aſcribere, quæ à noſtris ſenſibus ſunt remotiora, non cogitantes, latentem naturæ vim, quæ divinum divinæ potentiæ eſt inſtrumentum, multum poſſe ſine diabolorum ope & auxilio. Sic veſani ſunt, qui ſuperſtitionibus dediti etiam manifeſtiſſima pene præ ignorantia aut ſtolida dubitatione, ex occultis prodire cauſis aſſerunt; ut in eodem veſaniæ pelago navigant, qui *NB.*
præter odorem, colorem & ſaporem nullas alias vires plantis quibuſdam ineſſe arbitrantur,

quaſi

quasi naturalis illa cœlestiũ cum elementaribus conspiratio efficere non possit, ut præter qualitates primas tactiles & sensuales occultas etiam vires possideant sine magicis incantamentis & anili superstitione, id quod naturales cum experientia effectus demonstrant. Quare in singulari facto, non aliam præterquam quæ nobis videtur esse, statuere causam, temerarium duco. Quis enim negare potest, divinitus aut genii alicujus virtute, aut etiam causis accidentariis & fortuitis, posse produci effectum similem naturali. Et sufficit Physico ostendisse effectum talem vel talem esse causarum naturalium, aut semper aut plerunque. Et licet non semper respondeat eventus, non tamen ideo naturæ motus est denegandus, siquidem ad unum sæpè ef-

pè effectum rarò concurrunt cau- *NB.*
ſæ omnes, quod licet ex illis æſti-
mare, quæ ob raritatem varieta-
tem & ſingularitatem pro mira-
culis habentur & prodigiis, hæc
enim cauſas habent naturales, ra-
ro tamẽ ad effectum talem diſpo-
ſitas, aut omnes paratas. Itaque ſi
effectus eſt naturalis, etiam cauſa
talis erit, & contra. Jam autem
imaginum ſub certis aſtris ſcul-
ptarum effectus naturalis omni-
no eſt, ergo cauſam quoque natu-
ralem eſſe neceſſe eſt. Licet vero
hæc ſit occulta & abſtruſa, àque
ſenſibus exterioribus remotior,
non tamen illico ad diabolicam
quandam poteſtatem confugien-
dum, ſed attendendum, quibus
auxiliis quibuſque cauſis concur- *NB.*
rentibus fiat aut non fiat effectus,
èque mirabilibus cauſis naturali-
buſque effectis mirabilis potius
Dei

Dei potentia agnoſcenda & prædicanda, qui cum tantas virtutes tamq; mirabiles in naturam manifeſtam inſevit, quantus, dic amabo te, ipſe in ſuis occultis erit? His ita præſtratis, pro vita ſalubriter producenda, honoribuſq; ac divitiis augmentandis Jovis ſigillum atque imago fabricatur, ſculpiturq; in lapide albo vel claro, vel etiam argento puro aut ſtanno, ipſo tamen Jove, quod inprimis in hoc myſterio obſervandum eſt, exiſtente vel in ſuo domicilio, ut ſaggitario vel piſcibus, vel etiam exaltatione, ut Cancro, libero ab omnibus impedimentis, præcipuè verò à radiis malis Saturni vel Martis: in angulo etiam ſit orientis vel Medio Cœli, aſcendens in circulo Augis, directus, velox curſu, non à Sole combuſtus, orientalis in gradibus lucidis

In ſigillis conficiendis quid neceſſariò obſervãdum?

cidis & fortunâ augetibus in Lunæ vel Veneris Trigono aut Sextili, quæ omnia diligentissimè ab Astrologiæ perito observari necesse est.

Sic idem Jupiter contrarium operabitur, si retrogradus fuerit, combustus, afflictus à Saturno vel Marte, in malo cœli loco, non in domicilio vel exaltatione &c. Idemque judicium esto de cæteris etiam Planetis:

Sigill. Martis contra timiditatem.

Eundem in modum fabricatur Imago Martis in 1. facie Scorpionis orientis, contra timiditatem & pusillanimitatem.

Sigill. Solis.

Ad favorem Regum & Principum conciliandum, morbosque calidos cordiales curandos, Imago Solis in auro puro prima Leonis facie ascendente: ipse vero Sol in Leone sit fortis & fortunatus:

Ad

Sig. Veneris. Ad lætitiam, venuſtatem roburque corporis imago Veneris poma floreſque tenentis manu, aſcendente cum ea prima facie Libræ, Piſcium vel Tauri.

Sigill. Mercurii. Ad ingenium & memoriam acuendam imago Mercurii Orientis cum prima geminorum facie vel Virginis: vel contra morbos, odia & itinera feliciter conficienda à gradu 17. Virginis uſque ad finem fere ejuſdem ſigni.

Sigill. Piſcium Secretũ ad podagram. Ad podagram curandam, indubitanter valere piſcium figuram in auro vel argento, ſeu auro argento permixto, ſculptam, Sole permeante Piſces in aſcendente aut domo decima, ab infortunis ſalvo & libero, domino etiam ſigni videlicet Jove Salvo: vel etiam Luna medium cœli tenente, Marte non præſente, & Jove non retrogrado, Soleque ſupra terram exiſten-

existente, si piscium imago fiat in prima piscium facie, eundem præstare effectum antiquissimis monimentis proditum reperitur: in secunda vero facie factam sanare tibiarum morbos, in tertia morbos genuum & coxarum.

Forma tauri.

Ad morbos gulæ colli faciebant figuram tauri in facie tertia, Sole existente supra terram, eamque in cupro multum rubente:

Figuræ arietis Martis & Saturni.

Ad morbos capitis difficiles & difficulter curabiles, fabricatur figura arietis, Martis & Saturni, utroq; existente directo, Iove non constituto in ariete, nec Venere in Scorpio, nec Mercurio in Tauro, à gradu primo usq; ad 5. primæ faciei arietis: Sole autem existente in ariete eandem obtinebit virtutem.

Sigillũ Lunæ.

Ad bona & honores adipiscendos, morbosq; cerebri frigi-

dos curandos imaginem Lunæ conferre in puriſſimo argento vel cryſtallo, ita ut Luna exiſtat in Cancro, aque infortunis ſit libera, in oriente fortis & fortunata, experimentis patefactum eſſe Doctores antiqui aſſerunt, adq; eundem quoq; effectum conſequendū poſitus ejusdē in Tauro efficax eſt, quo in ſigno exaltatur:

Cancri figura

Ad ventris ægritudines curandas figura Cancri facta hora Saturni, Cancro exiſtente in medio cœli, & Saturno in ſecunda facie, omni auro præſtare dicitur, omnibus morbis reſiſtendis expellendisq; idonea.

Sig. Capricorni

Ad triſtitiam abigendam & melancolicam deſipientiam, figuram Capricorni prodeſſe proditum eſt, ita tamen, ut Mercurius non ſit retrogradus, ſitque

cum

cum Venere ſupra terram, Venus autem ſit in parte Orientali, Saturnus verò ſub terra: conficiendum autem ſigillum eſt in prima facie, Solis aut Mercurii die, Solis tamen hora.

Ad ſenſum corruptum & deperditum, morbosque manuum inprimis dextræ commendari video Imaginem Sagittarii factam de auro vel argento in prima facie primi gradus uſq; ad 5. die Solis & hora ejus: hæc figura habet vim expellendi infirmitates, Saturni, Veneris & Martis, oportet autem Saturnum non eſſe retrogradum, nec Martem in 12. domo, ſicut nec Jovem in quarta, Sol vero ſupra terram exiſtat.

Atque hæc ſunt ſigilla & ſculpturæ Planetarum & conſtellationum quarundam Cœleſtium, à diverſis autoribus reper-

tæ, ſequuntur ordine, quæ in antiquiſſimorum Sophorum & Doctorum monumentis & Codicibus & à verbo ad verbum huc transſcriptæ & conſignatæ imagines inveniuntur, quæ multarum mirandarumque virium eſſe perhibentur, ſi in convenientibus lapidib⁹ ſculptæ magna cum reverentia, & devotione (utinam vero ſine impia ſuperſtitione) geſtentur & cuſtodiantur: & primo quidem inter vetuſtiſſimi illius & ſummi Rhagaëlis arcana fuerunt.

Draconis formoſi imago, ſi in Rubino ſive in alio lapide ſimilis naturæ ſculpta fuerit, ſcias virtutem ejus eſſe in augendis bonis hujus ſeculi, geſtantemq; hilarem & ſanum efficere.

Falconis imago, ſi in Topatio ſit, ad acquirendam beneyolen-

lentiam Regum, Principum & magnatum facit.

Aſtrolabii imago ſi in Granato ſculpta fuerit, virtus ejus erit, ſanum reddere geſtantem, & ab omnibus ægritudinibus, adverſisque caſibus in itinere liberum.

Aſini imago, ſi in Chryſolito ſit, virtus ejus erit futura prognoſticare & prædicere. (quantum ſc. poteſt cadere in humanam imbecillitatem) verè enim futura prædicere ſolius eſt Dei.

Arietis vel capitis hominis cū barba imago in ſapphyro ſculpta virtutem habet ſanandi, & liberandi à multis infirmitatibus, & à carcere, omniq; moleſtia, eſtq; imago regia, dat enim dignitates & honores, ac in altum extollit.

Ranæ figura ſi in berillo ſculpta erit, virtutem habet ini-

micos reconciliandi, & amicitiam inter homines, si discordes ipsâ tetigeris.

Camelini capitis, vel duarum caprarum inter myrthi arbores imago si in Onyche sit, virtutem habet convocandi, congregandi, & constringendi Dæmonas, si quis secum portaverit, & in somno facit terribilia videre ac mirabilia.

Vulturis imago si in Chrysolito sit, virtus ejus erit Dæmones frenare & congregare, defendere locum in quo ponitur à malis spiritibus, & ab eorum infestatione, gestantique Dæmones facit obedientes.

Vespertilionis imago si in Heliotropio sculpta erit, gestanti potentiam dat resistendi Dæmonibus.

Hominis benè ornati imago

&

& habentis aliquid pulcri in manibus, si in Cornelio sculpta erit, virtutem habebit stringendi sanguinem, & ad honores confert.

Leonis vel Sagittarii imago si in lapide sit, ad venena valet, & à febre liberat.

Hominis armati cum arca & sagitta imago si in iride sculpta fuerit, virtutem habet custodire gestantem, & loca, in quibus versatur, à malo,

Hominis imago cum ense, in manu si in Cornelio sit, virtutem habet præservare locum in quo erit, à fulgure & tempestate, & gestantem à vitiis, & à fascinatione custodit.

Tauri imago si in Prassio sit, ad maleficia juvare dicitur, & in magisteriis gratiam præbet.

Upupæ figura cum Dragontea herba ante se, si in Beryllo sit,

virtutem habebit aquaticos provocare ſpiritus, & loqui cohibere, deq; quæſitis ab eis reſponſa recipere.

Hominis imago cum dextrâ manu erectâ ad cœlũ, ſi in Chalcedonio ſit, virtus ejus erit vincere civiles lites, & geſtantem reddere ſanum, & in itineribus, ac à cauſis noxiis præſervare.

Caraunia candidus lapis eſt cryſtalli ni ſplendoris, ſiderum fulgorẽ rapiens.

Dei nomina in Ceraunia ſi ſculpta fuerint, virtutem habebit præſervare loca in quibus erit hæc imago, à tempeſtatibus, & potentiam victoriamq; dare geſtantibus contra inimicos ſuos.

Urſi imago ſi in Amethyſto ſit, fugiendi dæmones virtutem habet, & hominem ab ebrietate defendendi & præſervandi.

Hominis armati Imago in magnete ſculpta, geſtantes in bello reddit victorioſos. Hactenus Rhagael. *IMA-*

IMAGINES SEU SIGILla Chaelis.

CHaël unus ex filiis filiorum Israel, antiquissimus Doctor, cum in deserto esset, observavit, & sculpere fecit multas secundum cursum signorum & Planetarum figuras, & maximum effectum in eis agnovit, utq; hæ imaginum virtutes posteris paterent, librum composuit, ex quo sequentia sunt excerpta. Sitq; benedictus Deus, qui terris tales virtutes dedit in salutem humani generis. (Hæc verba reperiuntur in ipso libro à Chaële conscripto statim in Principio.) *Inventa Chaëlis.*

Hominis figura sedentis post aratrum, cum longa barba, vultuq; longo & superciliis curvatis, in cujus collo sint quatuor homines jacentes, & qui teneat

in manibus vulpem & vulturem, si talis lapis, in quo hæc erunt sculpta, collo suspendatur, ad omnes plantationes valet, & ad inveniendum thesauros, nam si sub cervice iturus in lectum posueris in somno videbis thesauros, ac modum extrahendi: est & alia ejus virtus, scilicet conferre ægritudinibus brutorum, cum aquam biberunt, in qua hic lapis lotus fuerit, debet autem sculpi in die & hora Veneris.

Qualis v. sit lapis, non significatur.

Hominis imago habentis in collo clypeum, & in capite galeam, tenentis in manu gladium, ac conculcantis sub pedibus serpentem, in jaspide rubeo sculpta, si collo suspendatur, omnes superabit inimicos in prælio, & maximè si commissum fuerit die Martis.

Equi imago habentis Crocodi-

codilum ſupra ſe in Hiacyntho ſculpta, virtutem habèt reddere geſtantem victorem in civilibus cauſis, amatum, morigeratum, efficit & amabilem, debetque in auro ligari, quia ex auro virtus ejus augmentatur.

Hominis figura ſedentis, & mulieris ſtantis ante eum capillis ſparſis verſus renes, & viri ſurſum aſpicientis in Cornelio ſculpta, virtutem habet, ab omnibus hoc lapide contactis benevolentiam acquirendi: lapidi autem debet ſupponi parum Ambræ, & Terebinthinæ.

Equi ſpumantis & fervidi, ſuper quem vir niger ſedeat cum ſceptro in manu, figura ſculpta in Hemathite, regnandi poteſtatem præbet, & amiſſam gratiam reſtaurat, debetq; in æquali, pondere auri & argenti ligari.

Ho-

Hominis ſedentis cum accenſa candela in manu imago, ſi in Chryſolito ſculpta fuerit, geſtantem divitem efficit, debetq; inpuriſſimo auro ligari.

Cervi aut venatoris, aut canis, aut leporis figura ſculpta, virtutem habet frenandi dæmones, lunaticos, phreneticos.

Mulieris imaginem habentis in una manu avem, & in alia piſcem, ſculptam, ſcias virtutem habere in capiendis piſcibus & avibus; debet autem in argento ligari.

Imago cujus anterior pars eſt equus, poſterior verò capra, ſi in aliquo lapide ſculpta ſit, dat fortunam in alendis & armandis animalibus ſeu beſtiis omnium generum, debetq; in plumbo ligari.

Mulieris ſedentis cum tuba

in

in equo, seu militis currentis cum cornu ad collum, & cum arbore ante se, figura sculpta in aliquo lapide venatoribus venandi gratiam præbet, si secum portaverint.

Hominis flexis genibus sursum respicientis, & tenentis pannum figura, si in lapide sculpta erit, ac quis secum portaverit, dat gratiã & divitias in rebus emendis & vendendis.

Scorpionis & Sagittarii ad invicem pugnantium figura, si in aliquo lapide sculpta fuerit, malevolos & discordes efficiet concordes, inimicos amicos, ligetur autem in argento.

Vulturis imago cum ramo olivæ in ore si in pyrite sculpseris, tecumque portaveris in argenteo annulo, ad multa convivia vocaberis, & omnes te aspicient

cum admiratione & ſtupore.

Arietis & Leonis medietatis figura, ſi in aliquo pretioſo lapide ſculpta fuerit, ſi diſcordes cum ea tetigeris, amabiles & concordes efficientur, debetque in argento ligâri.

Mulieris in ſuperiore parte, in inferiori verò piſcis figura, quæ una manu ſpeculum teneat, & in altera manu ramum, in Hiacyntho ſculpta, digitoque in annulo aureo geſtata, inviſibiles reddit, volvendus autem annulus cum lapide verſus palmam eſt, palmaque claudenda.

Baſiliſci, cujus pars una eſt fœminæ, inferior verò ſerpentis figura, ſi in aliquo precioſorum lapidum ſculpta fuerit, virtutem habebit cuncta fugandi animalia venenoſa.

Baſiliſci pugnantis cum Dra-

cone

cone figura, & desuper sit caput hominis in Cornelio sculpta, si collo appendatur, gestanti dabit virtutem superandi omnem bestiam tam terrenam quam marinam.

Hominis nudi inflati figura, cum alterius hominis figura benè induti, ac tenentis in una manu scyphum, in altera verò ramum herbæ, si in Gagate lapide sculpta fuerit, virtutem habere scias liberandi ab omnibus febribus, si per triduum quis secum portaverit.

Hominis statuam habentis caput bovinum, & pedes aquilæ, sculptam in aliquo lapide, si tecum portaveris, nullus hominum de te malè loquetur.

Hominem flectentem genua, & sursum aspicientem, & manu tenentem pannum, in Turcosia sculptum, scias valere ad

ad emendas & vendendas res.

Scorpionis & Sagittarii inter se bellantium figura in aliquo lapide sculpta, & ligata in annulo ferreo ceræ impressa, statim inter se discordes efficit, quoscunque ea tetigeris.

Arietis figuram cum medietate bovis in aliqua gemma sculptam, virtutem habere scias, si in annulo argenteo ligata fuerit, ut quoscunque ea tetigeris, confestim tales concordes fiant,

Fœminæ in superiori & in inferiori parte figura piscis, quæ in una manu teneat speculũ, & in alia ramum, si in Hiacyntho sculpta fuerit, ligataque annulo aureo invisibilem reddit quandocunque volueris: est autem sigillum cera cooperiendum, digitoque palmam versus gestandum.

Hominis arantis figura, & su-

ſupra illum ſit manus Domini faciens ſignum,& juxta illud ſculpta ſit ſtella, ſi in aliqua gemma ſculpta fuerit, & honeſtiſſimè geſtaveris, in qua regione eris,à tempeſtate non peribis, & fructus terræ ſimiliter in illa non peribunt.

Viri juvenis tenentis in capite coronam, & ſedentis ſuper thronum quadrupedem & ſub quolibet pede ſit vir ſtans tenens cathedram in collo, ſitq; circa caput ſedentis circulus, & manus ejus ſint erectæ ad cœlum, ſi hanc figuram ſub Hiacyntho albo ſculptam repereris, poſuerisq; hunc lapidem in argenteo annulo,& æquali pondere ad lapidem, & ſub lapide modicum maſtichis & terebinthinæ, ac feceris ſigillum in cera, geſtaveriſq; ad collum,à Regib⁹ & Principib⁹ impe-

tra-

trabis, quicquid volueris, justissimè autem & castissimè est gestandus:

Serpentis figuram habentis supra dorsum virum, & viro insideat corvus, si in aliquo lapide sculptam invenies, qui hunc lapidem secum portarit, omnibus abūdabit, & erit astutus atque prudens.

Viri stantis supra draconem, qui in manu teneat gladium, figuram, si in Hæmatithe sculptam invenies, pone in annulo plumbeo, vel ferreo, & obedient tibi omnes spiritus subterranei, & revelabunt tibi omnes thesauros levi carmine, nec non extrahendi modum ipsi ostendent.

Viri stantis & habentis loricam indutam, & in capite galeam, in manu verò gladium evaginatum, figuram, si in aliquo lapidè sculptam invenies, & in annulo ferreo

reo tanti ponderis ligaveris, ferenti hunc in prælio nemo resisteri poterit.

Viri barbati habentis longum vultum, & curvata supercilia, sedentis super aratrum inter duos tauros, figuram, si sculptam in aliquo lapide inveneris, ad plantationes & ad omnem culturam valet, ad inveniendos thesauros, & bellandum, convertet inimicos in amicos, & in multis infirmitatibus valet, & siquis eam portaverit, fugient serpentes à facie ejus: epilepticos quoque sanat, & si infans eum portaverit ad collum, timorem ab eo expellit, & vexationem malorum spirituum, & si æger portabit, sanitatem recipiet, utque majorem virtutem habeat, debet poni in annulo ferreo, in duplici pondere ad lapidem.

Aquilæ stantis figura, si in Æthi-

thite sculpta & in annulo plumbeo posita fuerit, ferentem reddit acceptum & amatum ab hominibus, & animalia obedient ei.

Arietis & simul Leonis figuram si in aliquo pretiosiorum lapidum sculptam invenies, & in argenteo annulo ligaveris, si cum eo discordes tetigeris, concordabunt.

Capricorni signum sculptum in Cornelio, aut in alio lapide, in annulo argenteo liga, & tecum porta, nec enim personaliter nec oraliter ab inimicis læderis, nec judex contra te injustam sententiam dicet, in negotiatione & honore abundabis, & amicitiã multorum acquires, & omnes fascinationes quæ contra te facta fuerint, destruentur, in prælio quoq; nullus inimicus, quam etiam fortis fuerit, tibi resistere poterit. Hæc Chaël.

SI-

SIGILLA SEU IMAGINES Hermetis.

HErmes libro quadripart. 14. has commemorat imagines.

Lapis eſt berillo ſimilis.

Hominis imago ſculpta in diadocho, ſtantis, & magnæ ſtaturæ, tenentis in manu dextra obolum, & in alia ſerpentem, ſitq; ſuper caput hominis figura Solis, & proſtratum teneat ſub pedibus Leoné, ſi poſita fuerit in annulo plumbeo cum modico arthemiſiæ ac radice fænugræci, tecumq; habueris in ripa fluvii, & vocaveris aquaticos ſpiritus, ab eis de quæſitis reſponſa accipies.

Hominis figura ſtantis ac tenentis faſciculum herbæ collo appenſum cum groſſitie renum & amplitudine ſpatularum, ſi in viridi Iaſpide ſculpta erit, ſcias ipſam auxilium præbere febrici tan-

tantibus, & à febre liberare, & si quis artem medicinæ exercet secumque portaverit, in discernendis ægritudinibus & cognoscendis medicinis & herbis, in dandisque potionibus maximam gratiam præbet, inque omni hæmorrhagia & fluxu sanguinis juvat, protinusque cum compescit.

Turturis marini imago si in lapide marino sculpta sit, & in annulo plumbeo ligata feratur, non poterit lædi ab aliquo, & à senioribus & dominis terrarum diligetur.

Aquarii figura si sculpta fuerit in viridi Jaspide, & quis secum portaverit, lucrum præbet in vendendis & emendis rebus, & ab eo mercatores consilium quærent, & in suum domicilium merces portabunt. Avis quæ in ore folium tenet, & in ejus conspectu

sit

ſit caput hominis aſpicientis ipsã avem, ſi in lapide Pangone ſculpta ſit, eamque in auro ligaveris & tecum portaveris, dives eris, & locuples & ab omnibus venerabilis.

Jovis figura, quæ eſt hominis ſedentis ſuper cathedram quadrupedem, ſintque ibi quatuor homines ſtantes ante Jovem, & manus Jovis erectæ cœlum verſus, & in capite habeat diadema, ſi in Hyacyntho ſculpta erit, ac in auro ligata, & quis talem annulum ſecum portaverit, ſeu figuram hujus annuli impreſſam in cera collo ſuſpenderit, à regibus & ſapientibus quicquid voluerit, impetrabit.

Hominis imago habentis vultum Leonis & pedes aquilæ, & ſub pedibus ejus ſit draco, & cauda ſit

da sit extensa, in manu verò ipsius hominis sit baculus, cum quo percutiat caput draconis, si in crystallo sculpta erit aut in aliquo precioso lapide, & ligata sit in Orichalco, & sub lapide sit moschus & ambra, si quis fert secum talem lapidem, habebit spiritus obedientes, ac magnas facultates accumulabit.

Hominis sedentis supra aquilam, ac in manu virgam tenentis imago, si in crystallo sculpta fuerit, & in annulo æreo, seu cupreo ligata: si quis hunc annulum in die Solis ante exortum ipsius aspexerit, omnes inimicos suos vincet, & superabit, si in die Jovis aspexerit, victor belli erit, libenterque omnes homines ei obedient, sed oportet gestantem vestiri albis vestibus & à columbina carne abstinere.

Homi-

Hominis figura equitantis, ac tenentis in una manu frenum, & in alia arcum tensum, & habentis gladium cinctum, si in pyrite lapide sculpta fuerit & in annulo aureo ligata, & quis secum portaverit, eum victorem reddet in præliis, nec quis ei resistere poterit.

Mulieris imāgo habentis crines sparsos super mammillas, & in ejus conspectu sit vir quasi advenies, facienſq; ei aliquod amoris ſignum, si in Hyacintho seu crystallo sculpta fuerit, ac in auro ligata, & sub lapide sit ambra, aloës & artemisia, ferenti hunc lapidem in annulo omnes obedient, & si mulierem cum eo tetigeris, amabit te, & si capiti supposueris, cum vadis dormitū, quicquid volueris, videbis.

Hominis imago sedentis supra

 piscem,

piſcem, & ſuper caput hominis ſit pavo, ſi in lapide ſculpta ſit rubeo, & ipſum ſub tabulam in convivio poſueris, nemo comedens cum dextra, ſatiabitur.

Hominis nudi ſtantis figura, & à dextra ejus ſit puella ſtans, cujus capilli ſint ligati circa caput, & vir teneat dextram ſuam ſupra collum puellæ & ſiniſtram ſupra pectus, aſpiciatq; vultum ejus, ipſa vera in terram, ſi in aliquo lapide ſculpta erit, ac in ferreo ligata annulo, & ſub lapide ſit parum linguæ paſſeris, upupæ, myrrhæ, alumnis, ſanguinisque hominis, qui hunc annulum portaverit, invictus erit, nec ullus poterit ei reſiſtere, nec fera aliqua ei nocebit? Epilepticis quoque valet, ſi ceram rubeam ſignaveris cum eo, & ſi ad collum canis ponatur, latrare non permittit.

Ho-

Hominis imago tenentis in manu flores, si in Cornelio sculpta erit, ac in annulo stanneo posita, & annulus fabricatus fuerit die Lunæ aut Veneris, 4. 8. aut 12. hora, tange quem volueris hoc annulo, & obediet tibi.

Hominis barbati figuram habentis vultum longum, superciliaque curva, sedentis super aratrum inter duos tauros, habentisque vulturem in manu, in lapide sculptam, scias virtutem habere in plantatione arborum, & inventione thesaurorum, ac victorem in prælio efficere, serpentesq; à facie gestãtis fugandi, epilepticos sanat, omnemq; vexationem malorum spirituum tollit, debet autem in annulo ferreo ligari, & gestari.

Hominis tenentis falcem in manu super caput suum, figura,

& ſub pedibus crocodilum, ſi in lapide ſculpta erit, ac in annulo plumbeo ligata, & ſub lapide ſit parum radicis ſquillæ, qui ſecum hunc annulum portaverit, ab inimicis ſecurus erit, & in itinere à latronibus.

Hominis figura tenentis gladium in manu, & ſedentis ſupra draconem, ſi in Amethyſto ſculpta fuerit, ac in plumbeo annulo, vel ferreo ligata, & in digito feratur, ſpiritus obedient, revelabuntque ei qualeſcunque theſauros.

Aquilæ ſtantis figura ſi in Æthite lapide ſculpta fuerit, & in annulo plumbeo ligata, virtutem habet, qui ſecum portaverit capiendi multos piſces, nec ulla fera ei nocebit, aq; hominibus diligetur.

Hominis habentis in manu palmam figura, ſi in aliquo lapide ſcul-

sculpta erit, reddit gestantem gratum, & amabilem potentibus & principibus. Hæc ex Hermete.

IMAGINES SEU SIGILla Thetelis.

THetel. vetustissimus Doctor tractans de sculpturis lapidum, ait, has sculpturas in convenientibus lapidibus repertas, maximam habere virtutem.

Hominis imago sculpta in Jaspide habentis scutum in sinistra, & in dextra idolum, vel aliquid bellicosum, & loco pedum sint viperæ & loco capitis hominis sit caput Galli vel Leonis, virtutem dabit contra inimicos, & victorem gestantem reddit, valetq; adversus venena, sanguinem quoq; stringit à quacunque parte fluat.

Hominis figura habentis fasciculum herbæ in collo, si in Jaspi-

de sculpta fuerit, virtutem habet discernendi, seu cognoscendi infirmitates, sanguinemq; à quocunq; loco fluat, frenat: dicuntq; hunc lapidem habuisse Galenum.

Crucem sculptam in Jaspide viridi, dicunt habere potentiam liberandi gestantem ab aquæ submersione.

Fœmina habens in una manu avem & in altera piscem: si sculpta fuerit in Chrysolito, ad negociandum multum valet.

Lupi figura sculpta in Iaspide contra astutiam valet, & insana verba prohibet proferre.

Cervi figura in Iaspide sculpta virtutem habet sanandi & liberandi lunaticos & phreneticos.

Imperatoris figura in Iaspide sculpta cum capite erecto, gestantem reddit amabilem ab o-

mni

mni creatura, & quicquid petierit, obtinebit.

Virginis figura cum veste profusa tenentis in manu laurum, si sculpta fuerit in Iaspide, gestantem efficit securum à submersione aquæ, nec à Dæmone vexabitur, facitque potentem & omnia impetrantem.

Hominis figura habens in manu inscriptam palmam, si in Jaspide reperiatur, potentem reddit gestantem Principibusque gratum. Hactenus Thetel.

SCULPTURÆ SALOmoniæ.

VEtustissimus inventus est libellus in deserto apud filios Israëlis, qui, quoniam in eo multa, Salomonis opera reperiebantur, Salomoni fuit asscriptus.

(sed falso, quia multa superstitiosa sunt.) Titulus libri erat, de Sigillis lapidum secundum nomen tuum Domine, & secundum cursum stellarum.

Hominis sedentis super aratrum figura, habentis collum parvum & prolixam barbam, quatuorque homines jaceant in collo ipsius, & teneat in una manu vulpem, in altera vulturē, scias istud sigillū collo appensum ad omnes valere plantationes, omnesque
N. thesaurorum inventiones: probationem autem istius sic institues, accipe lanam nigram puram sine tinctura, involve lapidem, poneque inter paleas tritici, & capiti suppone, videbisque tunc in somno omnes thesauros istius regionis in qua fueris, simulque habet virtutem sanandi omnes bestiarum languores, si aquam, in

qua

qua lotus fuerit, biberint.

Hominem sculptum in Jaspide viridi, qui habeat clypeum pendentem in collo, & supra caput galeam cum gladio erecto, pedibusq; calcet serpentem, appone collo, & non timebis ullum inimicum, in omnibus rebus eris victor, maximè vero Martialibus, debetq; ligari in ære.

Equus gerens in dorso crocodilum in hiacyntho albo sculptus, amabilem facit hominibus & bestiis.

Hominis sedentis figura & mulieris stantis ante eum, habentis capillos extensos usq; ad femur, levantis vero oculos sursum, si in Cornelio sculpta fuerit, scias virtutem ejus esse, omnē hominem tam marem vel fœminam reddere obedientem, debetque in tanto pondere auri ligari,

quantum ipſe lapis habet, ſubtus autem pone betonicam & ambram.

Equum ſpumantem cum viro ſupra ſe tenente ſceptrum manu, in amethyſto ſculptum, ſcias illud ſigillum prodeſſe ad omnes res quas habet, qui illud gerit, omnesque principes & primates erunt ei obedientes, debet autem ligari in auro vel argento in duplo ad ſigillum.

Capitis hominis cum longa barba ac modico ſanguinis circa collum, ſi in adamante imago ſculpta reperiatur, ſcias ad victoriam audaciamque conferre, & corpus ab omni læſioni præſervare, valetq; ad impetrandam gratiam à principibus.

Hominis volentis inſtrumentis ludere figura in ſaphyro ſculpta, gratioſiſſimũ omnibus reddit.

Galli

Galli imago, vel trium puellarum si in Achate reperiatur, hominem gratiosum apud Deum & homines reddit.

Leonis figura in Granato sculpta divitias præbet & honores, cor lætificat, tristitiamq; expellit.

Cervi aut colũbi imago in Onyche sculpta, gestanti præbet animositatem adversus dæmonas. (Certissimum remedium verbum Dei)

Hominis figura in similitudine mercatoris portantis merces ad vendendũ, aut hominis sedentis sub centurione, si in Smaragdo reperiatur, dat divitias, victoremque reddit, & ab angustiis sublevat.

Tauri vel vituli imago in magnete reperta, portanti fælicia præbet itinera per omnia loca valetq; contra omnes incantationes.

Equi aut lupi figura in Jaſpide reperta febres fugat, ſanguinemque ſiſtit.

Hominis figura coronati in Topatio geſtantem efficit bonum, morigeratum dilectumq; Deo & hominibus præbetque honores ac dignitates.

Hominis armati cum enſe in manu, ſi in Sardio vel Amethyſto ſculpta reperiatur imago, gerentem acquirere facit perfectam & bonam memoriam, redditq; prudentem.

Cervi vel hirci figura in Chalcedonio reperta, virtutem dat augendi divitias, ſi in capſula pecuniaria reſervetur.

Leporis imago in Jaſpide portantem à nullo dæmone lædi patitur.

Locuſta marina in berillo ſculpta, rixas conciliat.

Nocti-

Nocticoracis figura, quia Palladis avis est, sculpta in lapide qui facit ad scientiam, hominem facit scientissimum & eloquentem.

Pavonis imago sculpta in conveniente lapide gestantes reddit divites.

Hominis figura interficientis Leonem aut aliam bestiam cum gladio, gestantem astutum, victoriosum & amabilem reddit.

Hominis tenentis laurum vel palmam in manu dextra imago, portantem efficit causarum & præliorum victorem, amabilem & potentem in regione sua.

Hominis alati figura habentis sub pedibus serpentem ac tenentis caput ejus in manibus, gestantem divitem, prudentem & amabilem reddit omnibus.

Formicæ habentis spicam vel granum in aliquo lapide sculpta

imago, ad divitias valet acquirendas.

Galli figura tenentis roſtro coronam vel Zonam, in duello victoriam dabit, præſertim ſi in gallinaceo fuerit.

Hominis ſtantis, cujus caput ſit bovis, pedes vero aquilæ figura, in gemma aliqua ſculptam ſi inveneris, inque ceram impreſſeris, nullus hominum de te male loquetur.

Baſiliſcum & draconem inter ſe pugnantes ſi in Cornelio inveneris ſculptos, ſitq; ibi caput bovis, bellaturus applica collo, omneſque beſtias vinces tam marinas quam terreſtres.

Hominis nudi inflati & coronati, tenentis in una manu ſcyphum, in altera ramum herbæ, figura in Gagate ſculpta, ligataque in annulo cujuſvis metalli, geſtan-

ſtantem protinus à febre liberat.

Viri ſedentis ſuper piſce figura in Jaſpide rubeo ſculpta, pannoq; alicujus impoſita, convivantem ſi cum dextra comederit, non ſaturari faciet.

Mulieris figuram habentis crines ſparſos, vel mammillas nudas, inque conſpectu ejus ſit vir cernens ejus faciem, ſi in hyacynto, granato vel cryſtallo inveneris ſculptam, ligaveriſque in annulo aureo, tanti ponderis ut lapis eſt, ſub verò lapide ſit ambra, aloes, polypodium, geſtantem efficiet omnibus amicabilem, ſiq; ſupponatur capiti, in ſomno videbit, quæcunque voluerit.

Viri equitantis & tenentis in manu frenum, & in alia arcum cum gladio cincto, figuram, ſi in pyrite ſculptã invenies, ligeturq; in annulo aureo, geſtantem victo-

rem

rem reddit in prælio cui nemo resistere poterit, & si quis hunc annulum submerserit in oleo muschato, omnes ipsum pertimescét, si inunxerit vultum suum illo oleo, nec ei poterunt se opponere.

Viri stantis qui sit nudus, & à dextris ejus sit puella nuda stans, ejusque capilli sint ligati circa caput, figuram, in magnete sculptã, & vir teneat dextram suam super collo puellæ, sinistram vero super pectus, & vir aspiciat vultum puellæ, hæc autem terram, pone in annulo ferreo tanti ponderis quãti est lapis, includeque sub annulo upupæ linguam, myrrham, alumen, & de sanguine hominis, quantum linguæ pondus est: ferenti hunc annulum, nullus inimicus poterit resistere in conspectu ejus, sive in bello, sive alibi, nec latro, nec fera nocens poterit

intra-

intrare domum in qua hic lapis repoſitus fuerit, & ſi epilepticus aquam biberit in qua lotus fuerit, ſanabitur; Cera quoque rubea ſi eo ſignetur colloque canis fuerit appenſa, latrare eum prohibebit.

Militem ſuper equo currentem cum cornu ad collum, & cũ arbore ante ipſum, ſculptum in pretioſo aliquo lapide, ſcias valere ad omnes venationes.

Fœminam tenentem in una manu avem in altera piſcem, in cryſtallo ſculptam, ſcias valere ad capiendum aves, debetque ligari in argento.

Hominis figuram cum hircino capite loco ſui, ſcias valere ad acquirendum divitias.

Aquilæ figura in cryſtallo ſculpta geſtantem reddit divitem, victorioſum & eloquentem.

Cornutum animal, quod equum

quùm ſubtus ſe ferat, & equus retro ſe ducat medietatem capræ, ſculptum pretioſiore aliquo lapide, ſcias plurimum valere ad domandum quamcunque beſtiam, debetque ligari in annulo plumbeo.

Turturis figuram in Pangone ſculptam & in annulo plumbeo, ferens nunquam vulnerabitur, nec malum accipiet, ſed honorabitur ab omnibus, maximè à ſenioribus.

Avis tenentis folium in ore, ſitq; in ore & conſpectu ejus caput hominis aut vulturis, figuram, ſi in auro ſculptam inveneris, ferens ex omnibus quæ emturus eſt & venditurus lucrum acquiret, aque emptoribus inveſtigabitur.

Leonis vel draconis vultus habentis duo capita cum cauda delica-

licata, vel viri in cujus dextra ſit baculus, & percutiat caput Leonis, figuram, ſi in cryſtallo ſculptam inveneris, poſueriſq; in orichalco, ſub vero lapide moſchum & ambram, tecumq; portaveris, omnes tibi obedient, facultatemque tuam amplificabis, ſignata cum eo cera eandem habebit virtutem.

Equi alati, qui Pegaſus dicitur, figura, ſi in aliquo lapide ſculpta invenitur, conducit militantibus, & in campeſtri bello dat audaciam & alacritatem.

Viri & ſerpentis circumdantis viſum, figuram, ſi in aliquo lapide ſculptam invenies, gerenti ſcias præbere victoriam in prælio campeſtri.

Arboris, vel vitis, vel ſpicæ figura in aliquo lapide ſculpta geſtantem facit in victu & amictu abun-

bundare, principesque reddit benevolos.

Mars armatus vel virgo stolata cum circumflexa veste tenens in manu laurum, in Jaspide si inveniatur, potentem gestantem reddit ad arma perficienda, & à morte violenta, aquæque submersione liberat, casibusque adversis.

Hominis armati in equo cum lancea figura in amethysto sculpta facit gestantem victoriosum in campestri bello.

Herculis figuram, tenentis in dextra clavam, interficientis Leonem vel aliud monstrum, si in lapide sculptam reperies, scias præbere victoriam in campestri pugna.

Jovis figura, quæ sit in forma hominis cum arietis capite, gestantem facit amabilem, citoque impetrantem quicquid voluerit.

Virgo

Virgo aut puella cum Lampade in cryſtallo ſculpta, virtutem habet cuſtodiendi oculorum lumen.

Sequuntur ſculpturæ & imagines Planetarum ſignorumq; Zodiaci ac firmamenti.

Igneæ triplicitatis, id eſt, arietis Leonis & Sagittari figura ſculpta in lapide pretioſo, omnibus frigidis ægritudinibus prodeſſe perhibetur, opitularique febribus phlegmaticis, & ob Planetarum qui in illis ſignis tenent dominium, dignitatem, reddit Deo & hominibus gratum, facundum, ingenioſum, honorumque & dignitatum facile potiri valentem: debet autem ita ſculpi, ut in triangulo ita Leo teneat conum, aries in baſi dextram, Sagittarius ſiniſtrum. *N.*

Terreæ triplicitatis, id eſt tauri.

virgi-

virginis & Capricorni imago lapidi insculpta, omnibus calidis & humidis ægritudinibus auxilium præstabit, gestantemque inclinabit ad opera ruralia, ut sunt arare, plantare, seminare, vineas excolere & similia, debet autem in Cono esse Capricornus, in basis dextra taurus, in sinistra virgo.

Aëxiæ triplicitatis, id est, geminorum, libræ & aquarii imago, in lapide sculpta ab omnibus ægritudinibus frigidis & siccis ex humore melancolico oriundis, liberat, præsertim verò quartana, eritq; in trianguli cuspide libra, in basis dextra aquarius, in sinistra gemini.

Aqueæ triplicitatis id est Cancri, Scorpii, piscium figura lapidi insculpta, à calidis & siccis morbis liberat, ut Hecthica, omnibusq; cholerę morbis, verùm gestantem red-

reddit inconſtantem, injuſtum & veritatis oſorem, debet autem in coronide trianguli eſſe Cancer, in baſis dextra Piſces, in ſiniſtra Mars.

Saturni figura inſculpta lapidibus eſt ejuſmodi. Vir ſenex falcem tenens in manu, habens barbam non multum piloſam: hæc figura ſculpta in lapide de natura Saturni geſtantem reddit potentem cum continua poteſtatis augmentatione. *Planetarum ſculpturæ.*

Jovis Imago eſt hominis ſedentis in ſolio ſeu in quadrupede cathedra, virgam tenentis una, altera vero pilam; ſeu tenentis idolum, Cancrum vel piſcem, & ante pedes habētis aquilam: Sed apud Magiæ Doctores aliter figuratur, hominis enim figuram ſculpunt cū arietino capite, rugoſis calcaneis, ſubtili pectore, quæ ſi lapidi

maxi-

maximè Krabati insculpatur, gestantem reddit fortunatum, amabilem religiosisque gratum, extollitque ad honores & dignitates.

Martis imago multipliciter in lapide figuratur, interdum cum vexillo in manu, interdum cum lancea, aut alio instrumento bellico, semper tamen armatus, & aliquando equester: hujus lapidis sic sculpti virtus gestantem reddit victoriosum, audacem, bellicosum, maximè vero si sculpatur in lapide virtutis consimilis.

Solis figura diversimodè reperitur, interdum instar ☉ cum radiis circumquaque: aliquando instar hominis sedentis in solio cum capillis sparsis, & veste profusa, nec non in curru, ac si ab equis quadrigis veheretur, ita ut circũcirca currum sint 12. Zodiaci signa;

gna: Virtus autem hujus figuræ in aliquo lapide ſculptæ geſtantem reddit imperantem, Magnatibusque gratum.

Veneris imagines ſimiliter multæ ſunt, lapidibus tamen ſequens frequentius inſculpitur: Mulier cum magna veſte & ſtola, manuq; tenens laurum: hujus virtus eſt agilitatem dare in rebus agendis, omniaq; ad optatum finem deducere, timorem ſubmerſionis aquaticæ auferre, honores verò muliebres affere.

Mercurii figura homo eſt gracilis pectoris, pulcram habens barbam cum talaribus, caduceam tenens virgam cum gallo ante pedes, aut cum ſerpente ſub pedibus: virtus ejus eſt conferre ad ſcientiã & oratoriam comparandã, mercatoribus locupletandis quoq; maximum præſtat auxilium.

Lunæ imagines variæ ſunt, aliquando enim figuratur in propria Lunę figura, cum cornibus, interdum in curru, ut puella cum canibus & pharetra, cum canibus ſequentibus cervum: hujus imaginis virtus eſt præbere expeditionem in legionibus, ex his bona & honores, inque omnibus rebus agendis præſtare celeritatem & facilitatem, adque optatum finem omnia deducere.

Verum caute obſervandum jubent, ut etiam ſupra monitum eſt, Planetam, cujus imaginem in annulo conveniente ſculptam cupis, optimè debere eſſe diſpoſitum hoc eſt, non combuſtum, retrogradum, malorumque radiis oppreſſum aut tactum, ſed in bono cœli loco, oriente vel Medio Cœli, cum Jove vel Venere, in dignitatibuſq; eſſentialibus, aliâs imaginem

ginem vana exiſtere, nulliuſque momenti.

Cæterum Urſi imaginem ſic formarunt veteres;

Urſi imago quomodo formanda? Urſa.

Binas urſas inſculpunt circumvolutas à ſerpente, Major urſa in capite circumflexionis, minor in cauda cõtinetur: quæ imago in aliquo lapide ſculpta, geſtantẽ ſcientẽ reddit, verſutũ & potentem.

Coronæ imago ſimilitudinem coronæ Regiæ cum pluribus habet ſtellis, interdum in ſimilitudine regis capite coronati figuratur, & exiſtit in Septentrionali parte & ſigno Sagittarii, eſtq; de natura Veneris & Mercurii, ſi hæc imago in lapide fuerit ſculpta, dat geſtantibus honores & ſcientiam, regiamque gratiam

Herculis quoq; incurvati imago talis eſt: Vir in genua prolapſus tenẽs in manu clavã interficiens-

que Leonem: aliquando vir cum Leonina pelle in manu, talesq; figuræ in decente lapide sculptæ ad victoriam conferunt bellicam maximè si in Achate gestetur.

Cygni sive gallinæ imago, expansis alis colloq; incurvato, gratum gestantem reddit populo, scientem, divitem, podagramq; paralysin & quartanam pellit.

Cephei figura habentis præcinctum ensem cum brachiis & manibus expansis in lapide sculpta, cautum reddit & scientem, & si pulvinari dormientis supponatur, in somno res delectabiles facit apparere.

Cassiopeja mulieris imago est sedentis in Cathedra habentis manus porrectas ad modum crucis, aliquando cum triangulo in capite, in signo autem tauri constituitur, & in septentrionali parte,

te ejus natura est de Saturno & Venere: si hæc sculpta fuerit in convenienti lapide, virtus ejus erit, hominibus sanitatem præbere, infirma & defatigati corpora restaurare, quietē & tranquillitatem post conceptum laborem gestantibus præbere, amœnum & suavem somnum præstare.

Andromeda puellæ imago est, habens crines sparsos, ac remissas manus, à tauro continetur in septentrione, Venerisque naturæ est: ejus virtus est si in lapide sculpta erit, rixas & jurgia inter virum & uxorem ortas reconciliare, & stabilem amorem firmare: & à quam plurimis infirmitatibus custodire.

Persens, ensem in dextrâ manu, in sinistrâ caput Gorgonis habens, imago est, ac locatur in tauro, & in septentrionali parte,

vim Saturni habet & Veneris, si in lapide sculpta fuerit, ab infortunis gestantem avertit, & à fulgure, & tempestate præservat, nõ solum gestantem, sed & loca, ubi continetur, fascinationes quoque solvit.

Serpentarius est hominis figura habentis serpentem, tenentisque in dextra caput, & in siniſtra caudam: est in signo scorpionis, & in Septentrione, naturam habet Saturni & Martis, Virtus ejus in lapide sculpta est valere contra venena, venenosorum animalium morsus curare, & si lotura ejus bibatur, facit venenum evomi sine læsione.

Aquila sive vultur volans, est imago aquilæ volantis cum sagitta sub pedibus, in cancro, & septentrionali parte collocatur, de natura Jovis & Martis, sed sagittæ

de

de natura Martis & Veneris: hæ cõſtellationes cum in lapide ſculptæ erunt, geſtantis veteres honorum gradus conſervare, & novos acquirere, adque victoriam conferre dicuntur.

Piſcis ſive delphinus eſt imago gibboſi piſcis: eſt in ſigno Aquarii & in Septentrione, naturam habens Saturni & Martis, quod ſi in lapide ſculpta ſit, artubuſque alligata fuerit, geſtantem fortunatum efficit in piſcando.

Pegaſus ſive equus alatus, vel ſecundum aliquos medietas equi cum alis: ſecundum alios totus equus cum alis, & ſine freno: in ſigno eſt arietis, & in ſeptentrionali parte, naturam habens Martis & Jovis: ſi ſculptus fuerit in lapide, geſtanti in campeſtri bello victoriam præbet, & velocem, cautum, audacemque reddit:

si verò equi collo suspendatur, aut in aquâ ponatur, ubi biba tequus, à multis infirmitatibus eum liberabit.

Cetus est figura magni piscis cum curvata cauda & magno ore, continetur à tauro, & in meridionali parte, naturamq; obtinet Saturni: in lapide hæc figura sculpta si supra dorsum habeat serpentem cristatum, in mari gestantem felicitat, eumq; prudentem & amabilem reddit, & ablata restaurat.

Orionis armati hominis imago cum ense seu falce in manu, collocatur in signo geminorum, & in parte meridionali, Jovis, Saturni & Martis naturam habet, hæc figura in lapide sculpta, gestantem reddit victoriosum, & de inimicis victoriam reportare facit.

Na-

Navis imago est cum retorta prora, & elevato velo, & aliquãdo sine & cum remis, continetur à leone, & in meridionali parte, est naturæ Saturni & Martis, in lapide autem sculpta securum reddit gestantem in agendis rebus in mari, & aqua, nec ab aqua damnum capere permittit.

Canis imago est figura canis leporini cum caudâ curvatâ, existit in signo Cancri, & meridionali parte, naturam Veneris habens: si in lapide sculpta sit, ipsam vim habere dicunt liberandi totaliter lunaticos, maniacos, Dæmoniacos.

Leporis ad similitudinem leporis imago est cum extensis auribus & pedibus, ac si in cursu esset, in signo geminorum collocatur, & in meridionali parte: natura ejus est Saturnia & Mercuria-

lis: virtus hujus est phreneticos curare & contra Dæmonum versutias valere, nec à maligno spiritu gestans poterit lædi.

Centaurus, est figura tauri usq; ad collum, reliqua hominis tenẽtis in sinistra manu hastam quiescentem super sinistra spatula cum appenso lepore, in dextrâ verò manu bestiolam resupinam cũ lebete appenso: in librâ & meridionali parte constituitur: estque naturæ Jovis & Martis, virtus hujus sculpturæ est reddere gestantem constantem, & sanum perpetuâ sanitate.

Canis imago sedentis in Cancro, de natura Veneris est: si in lapide sculpta fuerit, tecumq; portaveris, hydropem non timebis, & à peste, canisque morsu liberaberis.

Sacrarii seu thuribuli figura de natura

natura Veneris & Mercurii, cum accenſo igne, ſi in lapide ſculpta erit, habilem geſtantem ad convocandos ſpiritus efficit, ac in eorum converſatione eſſe, eoſque reddit obedientes: geſtantem quoq; ornat perpetuâ virginitate.

Hydræ ſeu ſerpentis imago eſt ſerpentis figura habentis ſupra ſe urnam circa caput, & corvum circa caudam, de natura Saturni & Veneris: virtus ejus eſt efficere geſtantem ditiſſimum, aſtutum, cautum, prudentem, & à nocivis rebus liberum, & reſiſtit omni noxio colori.

Coronæ auſtralis figura, imperiali coronæ aſſimilatur, de natura Saturni & Martis, in augendis divitiis ejus virtus eſt, hominemque hilarum, & jucundum reddere:

Agitatoris ſeu aurigæ imago

est hominis figura in curru tenentis hircum in humero sinistro: collocatur in signo geminorum & in Septentrione, naturam habens Mercurii: hæc figura in lapide sculpta facit gestantem venatorem & fortunatum in capiendis animalibus.

Vexilii imago fit in similitudinem vexilli expansi in extremitate hastæ. Hæc in lapide sculpta efficit gestantem in militia fortunatum, ac victorem in campestri bello.

Imago Leonis sculpta in auro, Sole existente in Leone, Luna Saturnum non respiciente, præservat à calculo calidisque ægritudinibus.

Scorpii imago in annulo aureo & lapide bezoar impressa, aut sculpta, Luna existente in Scorpione, sitq; Scorpius in uno ex

car-

cardinibus mundi, ad puncturam Scorpionis valet.

Imago Aquarii prodest iis qui habent falsas imaginationes, ut sunt melancolici, quartanarii, maniaci, oportet autem ut fiat in die Solis, & hora ejus, & non sit Jupiter combustus; neq; Sol sit Jove altior, neq; Saturnus sit in ascendente, neq; in 19. gr. arietis: 3.15,27 tauri: 11. geminorum 3,4, 12,15,19. cancr: 2,5,19, Leonis: 3,13, 30, Virginis: 3,5.21 libræ; 7.18, 20, 21 Scorpionis: 13, 20, Sagittarii: 12,13,24 Capricorni; 7,18,20 Aquarii, 13,20 piscium.

Imago piscium, Sole existente in piscibus in 12. domo & Luna in ascendente, dominoq; ascendétis & domino domus sextæ aspectu sextili aut trigono respicientibus ad invicem, aut saltē Luna respiciente alterutrum, à po-

NB. Contra podagram.

à podagricis doloribus gestantem sub plantis pedum liberare experimento dicitur. Verum, & tempus electionis in hisce & similibus figuris formandis diligenter observandum, majorem enim tunc è cœlo virtutem suscipere, si statis tempotibus oportunisque horis insculpantur, sic enim magis influere sidera, experientia habetur compertum. Unde amorem excitate benevolis, odium vero accendere volens, iniquis aspectibus utitur. Saturni igitur imagine in febricari volunt ipso existente in Capricorno vel aquario, Jovis in Sagittario vel piscibus, Martis in ariete & Scorpione, Solis in Leone, Veneris in tauro & Libra, Mercurii in geminis & Virgine, Lunæ in Cancro. Sic Leonis vel Cancri imago annulo vel

lapi-

lapidi infigi debet, Sole Leonem, Luna vero Cancrum peragrante, ita tamen, ut uterque ab omni impedimento sit liber, præsertim vero à radiis Saturni vel Martis. Tenendum etiam, quodlibet signum, quamdiu Sol in eo est, vivum fieri, cæterisque dominari, effectumque ejus præ aliis sentiri, ideoque semper Planetam dirigendum ad locum esse, id est, signum, faciem & gradum, quem Sol illustrat. *Nota dilig.*

Hactenus de imaginibus magicis Priscorum Sapientum, quas eam potissimum ob causam hîc enumerasse placuit, ut planum fiat, quid inter physicas seu naturales & superstitiosas sculpturas interfit: Si quis enim cum superstitione ad male agendum eas referre velit, ordini di- *Quomodo imaginibus utendũ.*

vino

vino & ipsius artis, ex qua fluxerunt, principiis, erit contrarius, eique verendum, ne deliris superstitionibus circumventus, delirus totus evadat & superstitiosus.

Planetarum influxus ac vires metallis quomodo imprimenda?

Cæterum iisdem fere ex fundamentis & causis etiam nunc conflati inceperunt laminæ auratæ, argenteæque rotundæ, quadratæ, vel triangulares, quibus certi Planetarum signaturæ & characteres ad certos cœli positus & configurationes seu constellationes insculpuntur, pro cujusque Planetæ favore atque influxii conciliando: imprimi enim recipi, atq; retineri in ejusmodi figuris & simulacris, certa specie, imaginibusq; insignitis, planetarum influxum, rationi & experientiæ consentaneum est. Hoc interim accuratissimè observandum, ut Planeta, cujus influxum quis petit, sit fortis &

tis & fortunatus, hoc est, in proprio domicilio, exaltatione, vel triplicitate, in Orientis angulo vel Medio cœli, liber à malis radiis Saturni vel Martis, fultus Veneris vel Jovis trigono, aut Sextili, vel iis junctus, directus, velox cursu, non combustus, ascendens in circulo augis. Exemplo sit Mercurius, cujus influxum si quis pro intellectu, ingenio, memoriaque acuenda conciliare sibi cupit, observet, quo tempore anni Mercurius in Geminis vel Virgine, in quibus signis suum habet domicilium, sit fortis & fortunatus in oriente vel medio cœli: inventa hora horæque minuto, fiat cœlestis figuræ una cum aspectuum dilineatione, diligens & artificiosa sculptura in argento puro, quæ postea serico albo inclusa reservatur, tiaræque ea parte qua præcise

cise cerebellum contingit, additis moschi optimi aliquot granis, insuitur: Hoc anno 1610. Mercurius fortis & fortunatus repertus est circa 14. & 15. jun. horamque matutinam secundam: Iterumque fortissimus & fortunatissimus existet in Septemb. & Oct. paulò ante & post horam matutinam 5. quo tempore Solem in orientali cardine antecedit in propriis dignitatibus.

Atque hic est modus intellectivam potentiam memoriamq; exacuendi è cœlorum virtutibus: ex vegetabilibus quoque animalibusque non parum me gratiæ inturum spero apud eos qui memoria sunt fragili & fluxili, licet ad intelligendum excitati, si remedia quædam pro memoria corroboranda, quibus Clariss. & doctiss. viros feliciter usos scio, quæque

hacte-

hactenus inter secreta abscondita latuerunt, exprompsero, non invidens quæ publico possunt esse usui. Multa autem iis inesse scias, quæ neque temperamento, neque materiæ vel ulli qualitati manifestæ inhæresçunt, sed soli proprietati cuidam occultæ asscribenda sunt.

Recipe cordium hirundinum, adhuc palpitantium numero 7. turturum num. v. menthæ siccæ, pulegii, verbenę, eufrasiæ, coriandri præparati, gallitrichi, sing. ʒj. florum rosmarini ʒj. ʒ. calami aromatici, cinnamomi, sing. ʒij: garyophillorum ʒ. i. ʒ. moschi, & Galliæ moschatæ, sing. grana viij. mellis anacardini, styracis calamitæ sing. ʒʒ. quæ ex his patiuntur triturationem, redigantur in pulverem tenuem, cumque aqua fœniculi redigantur in Pastil-

los

los ad formam nuclei palmulæ. Usurus hunc servabit ordinem. Purgato corpore. 30. noctibus nihil præter passulas cum amygdalis paucis & pauco pane cœnabit, prandium autem erit assa gallina, aut pullus gallinaceus, turtur, perdix vel simile quid, potus vinum unius anni modice dilutum. Singulis autem noctibus sub somni horam, pastillus dextræ nari inseretur, cotoque obturabitur, sicque servabis, non ultra quam XXX. Virgilii versus recitaveris: elapsis diebus aliquot, pastillum sinistræ nari aqua rosarum madefactum indito, omniaque, quæ lecturus es, tenebis, vel intelligentia cito assequeris. Abstinendum vero, qui memoriam sic servare omnino cupit, ab ebrietate, venere, cruditate ventriculi inprimis, omni satietate, fructibus

tus viridibus oleribus, carnibus
alitis, omnibusque flatus gene-
antibus. Postrema mensa coriandri præparatum semen assumendum est. Inprimis quoque curandum, ut diligenter & probe præparetur. Non quoque innoxium erit, per intervalla pastillum unum ore detinere ac deglutire. Juvabit quoque pastillum super brunas projicere, ut fumus probè recipiatur in nares, receptus retineatur, naribus gossypio obturatis, ne exhalet, vel etiam pastillos aliquot aqua lavendulæ vel rosacea, vel anisi dissolvere, frontemque tempora nares & occipitium circa memoriæ capsulam mane & vesperi frequenter madefacere, inque nares linteola pura eâ imbuta immittere. Atqui hoc remedium paucis patefactum est.

a *Hæc praxis maximo emolumento multis fuit.*

Communius est, licet à multis hacte-

hactenus occultatum, quod recipit.

Zinziberis, piperis, longi, galangæ, garyophillorum, cubebarum ſing. unciam unam: nucis moſchatæ unciam unam & ſemis, in pulverem redacta condantur ſacco lineo, coquantur in vini optimi menſura una & dimidia, in olla nova vitreata benè obturata, ne fiat evaporatio, lento igne, bibatur de hoc vino tribus antè inunctionem diebus jejuno ſtomacho plenus & fortis hauſtus, ſimiliter & veſperi: quo facto hieme ad ignem, æſtate vero ad Solem capitis pori frictionibus & pectine diligentiſſimè aperiantur, ut vapores fuligineſque exhalent, ipſumque caput lavetur aquâ ruthæ ſimplici, poſteà circa tempora & occipitum, cellamq; memoriæ fiat inunctio ſequenti unguento, quod recipit. Flo-

Florum caulium, lil. conval. liliorum alborum, meliſſæ cùm floribus, menthæ criſpæ, ſing. manip. i. contuſis adde olei olivarum uncias ij. & ſemis, butyri vaccini maſalis non ſaliti uncias iiij. Vini ſublimati fortiſſ. Cochlearia iij. aquæ roſarum cochlearia iiij. bulgoſii, ruthæ, chelidonii, ſalviæ, ſing. cochl. ij. commiſceantur omnia, & bulliant ſuper ignem ſine fumo & flamma, poſteà reponantur in vitreo vaſe, inſolentur dies aliquot, ut color in cereum convertatur, ſicque paratum biennio viget in virtute ſua. Herbæ autem ipſæ colligentur in Solſtitio æſtivali, moxque diſtillandæ ſunt & ad unguenti compoſitionem aſſumendæ. Triduali igitur purgatione præmiſſa cum dicto unguento inungantur tempora, cella memoriæ & occipitium,

um, maneasq; calidus & quietus, donec ac interiora penetrarit, & hæc fient à principio per dies 4. posteo vero singulis annis semel tantum per biduum crescente Luna: in tertio anno non erit necessaria inunctio, nisi semel anno: alimenta sint facilis digestionis, & potus moderatus, excedens enim & continuata hîc ebrietas venenum est. 3. Sed & hoc sequens unguentum excellens est, quod recipit, radicis buglossi, valerianæ sing. uncias 3. radicis ruthæ uncias ij. redigantur in pulverem: deinde recipiantur succi ne frasiæ, hormini, verbenæ sing. uncias iiij. colentur per pannum. Posteà misceantur succi & pulveres, addas medullæ anacardiorum unciam unam, linguæ avis id est, seminis fraxini in pulverem redacti drachmas iiij. cumq; pingue-

dine

dine ursi fiat unguentum, quo inungantur tempora, frons & memoriæ cellula. Hoc magni viri usi sunt: inunctionem suadent fieri debere ter vel quater in anno, ego singulis mẽsibus, si segnior operatio animadvertatur, ut in quibusdam contingere visum est.

Sed ut ab animalibus & vegetabilibus ad cœlestia revertar, eodem planè, quo Mercurii, modo & forma reliquorum etiam Planetarum vires atque influxus conciliari poterunt, ut pro honoribus & dignitatibus, principum ac magnatum favore atque benevolentia impetranda, imago Solis existentis in Leone & domo decima, in trigono Jovis vel Lunæ: Unde in his figuris formandis unice spectandum, ut is Planeta, cujus quis sibi virtutem

& influxum cupit conciliare, ab omni impedimento sit liberrimus.

Verum, cur & unde annuli, imagines & figuræ in certo metallo vel lapide sculptæ, creditas habeant vires, non temperamento, non manifestis qualitatibus non toti substantiæ est assignandum, sed divinæ & magicæ, hoc est superiori cuidam & sublimiori causæ, quam non inconvenienter Spirituale vehiculum & vinculum quidam appellitarunt: hoc mediante corpus & anima substantiæ invicem distantes copulantur invicem, hâc Magnes trahit ferrum, cichoriumq; motum Solis insequitur:

Spiritus potentiarum occultarũ vehiculum.

NB.

Hoc vehiculo & vinculo intercedéte seu interveniente, Mercurius efficax est in hydragyro, memoria & cogitativa acuenda vel debi-

debilitanda, alectorio lapide, colore & ſapore mixto, Ægypto, Græcia, Anglia, Flandria, Sileſia:

Hoc vehiculo interveniente, Luna efficax eſt in argento & vitris, cerebro, oculo ſiniſtro viri, mulieris dextro, colore albo, cœruleo & cineritio, ſapore falſo, mediocri odore, cryſtallo, clymate ſeptimo, Flandria, Hollandia, Selandia, Dania.

Saturnus in plumbo, aure dextra, ſplene, veſica & oſſibus; colore nigro, livido, & plumbeo, ſapore ſtyptico, lapidibus nigris & obſcuris, climate primo, orientis dextro, Saxonia, Stiria &c.

Jupiter in ſtanno, pulmone, coſtis, pulſu, ſemine, aure ſiniſtra, colore fuſco, purpureo, flavo, viridi: Smaragdo, Sapphyro, Amethyſto: ſapore dulci, Cli-

mate ſecundo, Septentrione, Babylonia, Perſide, Ungaria, Hiſpania.

Sol in auro, corde, arteriis, oculo dextro, latere dextro: colore aureo, croceo, ſubruffo, hyacintho: ſapore acuto & acri, odore bono, non excedente: Climate quarto, oriente.

Mars in ferro, aure ſiniſtra, felle, renibus: Jaſpide: ſapore amaro, felleo, acuto: colore rubeo: climate tertio, Septentrione, Sarmatia, Getulia, Longobardia, Gotia.

Venus in cupro & omnis generis ſpeculis: matrice, renibus mammillis, gutture, genitalibus epate: colore albo: ſapore unctuoſo, dulci & pingui: margaritis ſapphyro, & carbunculo: Climate quinto, Auſtria, Arabia, Campania, Polonia, Helvetia.

Hujus

Hujus igitur influentiæ occultæ principium petere ex principibus & manifestis illis qualitatib⁹, temperamento vel tota substantia, non tam absurdum quam ridiculum est, cum illorum, à quibus hæ virtutes promanant, actiones corporeæ non sint, & sine corpore (non tamen sine vehiculo) cœlitus illabantur.

Quare nullâ hîc opus ex sensibus mensura, nulla ambitiosa verborum pugna & inani demonstrationum conatu. Omnis philosophicæ demonstrationis initium à sensibus & qualitatibus non peti posse, sed aliunde petendam, vel ex hoc vulgato patescit, si quis quærat de albæ rosæ colore, unde scilicet ducat originem, causamq; velit frigidiori temperamento ascribere, quid quæso dicet de rubra? Intybi species lacteumne

Contra sensuales philosophos.

iccirco ſuccum fundere dices, quod ſint frigidæ? at complures calidiſſimæ, ut ſunt tithymali, qui eodem turgent & madent ſucco. Et aloë iccirco nè amara eſt, quia calida? Atqui in opio quod pernitioſo frigore necat, amaritudo eſt eximia. Et licet ex totius ſubſtantiæ proprietate talia promanare concedatur, ſublimior tamen & præſtantior opifex, inſculptor & formator ſupra illam in noſtro myſterio collocandus eſt & quærendus. Fruſtra igitur Alexandrei ad manifeſtas qualitates omnia referre conati ſunt, quod Scalig. exer, 318. ſummæ ait eſſe impudentiæ, & ſaltem in venenis decuit illos acquieſcere. Videmus è naturæ gremio & ſinu quædam prorumpere, quorum cauſæ etſi ſint plane inexplicabiles nobis, juvat tamen interea & voluptati

ptati est Philiatro, rerumque naturalium industrio, sagacique investigatori, probabiles rationes comminisci, quas si non assequitur plane, non tamen rebus manifestis propterea derogat fidem, nec effectus calumniatur, sed naturam ejusque opificem admiratione prosequitur.

Hactenus de admirandarum & occultarum in natura actionum principiis & causis, reliquum nunc est, ut supra propositæ quæstionis explicationem ex commemoratis istis principiis deducamus. *Altera tractat. pars.*

Constare autem omnibus arbitror ex iis quæ hactenus in publicum sunt à me prolata, plantas, radices, lapides, metalla, spiritus & astra, divina quadam consortii lege conspirare, quod non aliunde accidere vide-

tur, quam ut Plato in Timæo docet, quod cuilibet rerum ſpeciei peculiare aſtrum, ut polus magneti, & proprius homini genius à divina mente ſit conſecratus & dicatus, ut ita quælibet planta, quodlibet metallum, ac quilibet pretioſus lapis, certæ ſtellæ vel aſtro ſit ſympatheticus. Sed hæc quo ſublimiora, eo altius, ac diligentius à primordiis repetenda ſunt & inveſtiganda. Conſentiunt omnes, Cœlum & omnia olim proximè à Deo fuiſſe procreata, à Deo vires accepiſſe & retinere divinas, quibus tum ſe conſervent, tum generis ſui propagationi incumbant. Deus enim nunc pauca admodum ſine cœlorum, naturæ, ſeminiſque interventu ingenerat, immò conditis naturæ legibus omnia per cœlum adminiſtrat: quæ enim Deus olim

Philoſophia occulta.

pro-

propriis operibus incoavit & perfecit, ea tanquam feriatus cœlo velut administro & synergo continuanda credidit, ne scilicet longa fortè temporis intercapedine jam olim creatum perfectorum animantium genus deficeret, cœlitus vitalem vim immittit semini, quæ deinceps materiam sic apparet, instruat, disponat, gignendisque rebus reddat aptam, ut omni tempore vim illam animabilem & spirabilem de cœlo possit excipere & allicere, sicque continuatus fieret rerum caducarum sese excipientium ordo & series, semine quidem materiam suppeditante, cœlo vero inducente formam. Sic itaque homo generat hominem & Sol, homo per seminis vim apparatum omnem atque ornatum conciliat, proximaque

Nota opt.

est causa: Spiritus enim calorque, qui in semine est divinus subjectam seminis materiam ita præparat, ut consentaneam partibus singulis permistionem temperationemque, deinde vero structuram, conformationem positumque acquirat, tum demum in totum se diffundens singulis veluti gubernator insideat, neque deserat, quas temperavit, formavit ac composuit: altera efficiens hominis causa est, & quidem prima ac princeps, quæ in præparatam materiam simplicem speciem seu formam inserit ac demittit, ut Cœlum & Sol, species enim rerum cœlitus immittuntur, non è materia educuntur. Quod autem à veteribus dictum est, Deum per naturas esse divisum, & Deorum plena esse omnia, ita accipiendum est, quod vis illa divini-

vinitus accepta & infusa in omnibus permaneat, quod divina virtus omnibus insit, cujusvi omnia emergant, sed aliter in cœlo, aliter in caducis rebus, in quibus obscurior, in cœlo autem ad rerum generationem præstantior est atque evidentior. Quæcunque igitur Deus tum in cœlis tum in terris progenuit, omnia unus tuetur atque regit, Cœlestia quidem per se & proximè, animantia vero & stirpes aliaque mortalia cœlorum ope & interventu, quibus naturæ leges tum procreatrices tum conservatrices indixit. Itaque animantium stirpium lapidum & metallorum omnium quæcunq; fuerunt & esse possunt, formas, unius cœli formę potestate cõprehendit, quæ innumerabilibus quasi gravidata formis omnia gignit & ex se fundit, &

Species rerum à cœlo.

sic una vis & facultas præ se fert omnium caducorum vires, ut ita cœlum nullo semine multas proferat tum animantes tum stirpes, at semen sine cœlo non generet quicquam, sed gignendis rebus materiam duntaxat & convenienter apparet ac instruat, cœlum vero in apparatam illam materiam speciem summamque perfectionem immittat vitamque suscitet in omnibus, lucido spiritu intercedente: hic enim mundi & cœlorum existit vector, in totam universitatem diffusus, rebus singulis simul & speciem, & nativum vitalemque calorem impertit gignendis illis accommodatum. Is est, qui omnia continet, calore vitaque fovet, hujus vi & ope & inanima quæque persistunt, & animata sui quæque generis habent animam, alia nutrientem

Spiritus formarũ dator.

entem quidem, alia ſentientem, alia rationis participem. Sic tamen vis illa cœlitus demiſſa rebus ſeſe accommodat, ſic ſingulis inſervit, ut quantum cujuſque natura deſiderat, quantum ipſe ſubjecti ratio & conditio ferre poteſt, tantundem exhibeat Nec tamen illa virtus ſui ſemper eſt ſimilis, aut uno ſe ſemper & modo eodem ſe rebus exhibet, ſed aliâs aliter pro ſtellarum ſtatu & radiatura multiformi, quarum commixtio implexioque plerunque evariat, tametſi vectoris ſpiritus una ſemper eſt & impermutabilis ſubſtantia.

Fieri igitur non poteſt, ut quidam exiſtimant, mundi Spiritum, vitam ſtatumque rebus omnibus ſic impertire, ut ne minimam quidem aſtrorum opem deſideret, hoc enim ſi eſſet, ſimilia ſimi-

liter id est, pari mensura perpetuo generaret. Vitalem quidem animam secum affert & naturam ipsam, ac quæcunque subierit, vitalia facit, sed pro cujusque subjecti natura, conditione, dispositione & apparatu.

His ita præsuppositis, quod videlicet divinæ cœlestesque vires ad rerum omnium procreationem & conservationem concurrant, perque communem illum vectorem spiritum, intermediæ inter cœlum & sublunaria substantiæ, omnes mundi partes cohæreant, & cuncta complexu concilientur, nihilque in vivente mundo sit tam abjectum, cui non infusus ille Spiritus divinorum cœlestiumque operum aliquid elargiatur, è cœlo & sideribus vires & proprietates, vitæque seminaria invehens, confundens & permi-

permiſcens, ſicque omnibus inter ſe concinentibus, ut graviſſimis Tullii verbis utar, neceſſario omnia uno divino & continuato ſpiritu contineri, hæc inquam cum ita ſeſe verè habeant, quis ſanationem, factam per unguentum armarium, quo vulnus etiam non applicatis remediis curatur, inſtrumento tantum eo unguento delibuto, non naturalem, ſed ſuperſtitioſam dicet & impoſtoriam? Nemo ſane, niſi harum rerum omnium ignarus, quique ſenſibus omnia metitur. Fit enim illa ſanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, per influentiam corporum cœleſtium operationes ſuas perficientium per elementa, nec non toties decantatum vectorem Spiritum, qui

Modus quo vulnus curatur ſine remediis.

qui tanquam medium vinculum primo ex definitis & propriis cõstellationibus sympathian, & copulam seu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis sanatoria in telum medicatum derivatur, unde postea egreditur, & ad partem usque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione istius virtutis Spiritualis consequitur effectus. Nec tamen dubium, phantasian patientis plurimum hic habere momenti, (juxta illud Hippocratis, in medendo sæpè concurrunt spes, fiducia & τύχη) tum ad balsamicam in sanguine existentem virtutem à telo medicato attrahendam dirigendamque ad partem affectam & læsam, tum ad movẽdum principium sanativum id est, sanandi virtute præditum, in corpore existens. Cœlum igitur, quod pluribus

bus & uni influit, imaginationem, quæ semper adest, & sympathiam, quæ intercipi aliquando impedirive, destrui non potest, ad determinatam in corpore partem vim sanatoriam deducere statuendum est. Nam inter vulnus & telum est vis Magnetica attractrix & deductrix, illa partem spectat affectam id est, vulnus, hoc est, attractio fit ad partem vulneratam, virtutis vero deductio ad telum medicatum.

Verùm objicitur, spatium interveniens, tempus, & locus, quæ istam deductionem, sanationemque impediant, nec admittant, nihil enim ultra determinatum agere spatium, item corpus à corpore sanando tangi necesse est, tangere enim se propriè dicuntur, quorum extremitates seu fines sunt simul. Jam autem sola corpora

Objectiones præcipuæ diluuntur.

pora tenent ſuperficies. Ergo ſola corpora ſe tangunt. Talis autem contactus non fit inter vulnus & telum medicatum, ergo ſanatio quoque per illud impoſtoria eſt & Magica.

Præcipui hi ſunt arietes, quibus pars adverſa & ſenſuales Philoſophi ad evertendum & explodendum, naturæque finibus excludendum miraculoſum unguenti armarii effectum utitur. Sed facilis occurſus eſt. Et miſeret me eorum. Quis enim neſcit multa ex intervallo exercere actionem ſuam, quorum ſcilicet ſuperficies nullo modo conjungi poſſunt, & nihilominus ſunt ſimul, ut Sol & hominis corpus, quæ ſuperficiebus licet conjungi non poſſunt, radiis tamen intermediis conjunguntur, non enim poteſt phyſicum agens agere in extremum

quin

quin prius agat in medium, cum omnis actio physica fiat per contactum. Idem Sol per orbem Lunæ calefacit mundum inferiorem, licet neque ipsum tangat, neque sphæram Lunæ calefaciat. Sic omnia illa corpora, inter quæ est sympathia & antipathia, mutuo se afficiunt, exercentque operationes suas circa ullum visibilem contactum, id est, unius virtus defertur ad alterum mediante Spiritu intercedente, ita, ut licet spatium sit maximum, citra tamen ullam alterationem nec ventis dissipetur, nec etiam aëre vasto, humido, frigidove rapiatur atque discutiatur, sed propter naturalem communionem, similitudinem, nexumque conservetur atq; continuetur.

Sic in contagionibus quoque nullus

nullus fit contactus corporum. ut in certo lippitudinis genere afficiuntur oculi illorum qui lippum intuentur, item graſſantibus febribus peſtilentialibus multi inficiuntur, qui ad ægrotos nunquã acceſſerunt, hoc eſt, quorum extrema nunquam fuerunt ſimul: maligna enim & putrida iſtarum febrium qualitas corpora contaminat propagando ſe diffundendo & continuando. Itaque qui alium morbo inquinat, non neceſſario eundem tangit, nam putridum halitum vaporemq; in pannum veſtemve aliquam (in his enim & ſimilibus ſeminarum contagii ſæpè deliteſcere experimentis patefactum eſt) expirans, qui poſtea alium multos poſt dies inficit, non rectè dicitur infectum ſic contaminatumque tetigiſſe, cum nihilominus tamen citra dubium

Multi ſine contactu afficiuntur in peſte.

bium affirmari possit, morbos de homine uno ad alium non transire absque corpore aliquo, id est, non transportari absque vavore seu spiritu vel humore. Ac spirituales qualitates hîc plurimum valent. Licet enim secundum modum & existentiam, quæ existunt, per se actionem corpoream non edant: per accidens tamen nihil prohibet, quo minus per medium idoneum propagentur, quod medium nihil est aliud quã spiritus vaporve mediæ cujusdam inter corporatas & incorporatas substantias naturæ, qui spirituales actiones in se recipiat, aërique representet, cumque sit corporeus, contactu suo realiter alteret. Unde verissimum evadit, multas esse actiones, ad quas non sit opus eo qui vere & solus contactus est, cum in se mutuam actionem exercent

N. De spiritualibus qualitatibus.

ercent corpora multa, quæ sunt simul non per contactum corporis sed virtutis, estque hæc virtus, quam per intervalla exercent corpora, effunduntque, qualitas corporis expers in qua sola inest efficacitas. Sic vis ex unguento exiens effundit se non in lapidem, ferrum vel lignum, quibus cum nullam habet conjunctionem, sed virtute motoris ad vulnus se propagat.

NB.

NB.

Primum enim movens in unguento est vis balsamica in sanguine & usnea, quæ mediante spirituali vinculo ad vulnus usq; continuatur, & nisi intercapedo sit nimia, fiunt unum per utriusq; formæ conjunctionem, conjunguntur inquam, quia formæ se ipsas propagant & promovent, ita ut etiam egredientes in media intercapedine mutuo occursu uniantur.

antur. Simul igitur ſunt movens & quod movetur, ita ut vel ſecundum immediatam ſuperficierum applicationem ſe contingant, vel ut unius virtus ad ſuperficiem alterius, atque ita in corpus alterius deducatur, ſive id fiat lumine, ſive radiis, ſive qualitate occultiore & contactu ſpirituali. Quare unguentum attingit vulnus ſeu conjungitur vulneri, ut efficiens & agens patienti, ſeu ut *NB.* cauſa tranſmutans alteranſque corpori tranſmutando, quo etiam modo cœlum conjungitur terræ, quæ tamen ſecundum ſuperficiem illi non eſt contigua, hoc eſt extrema cœli & terræ ſe non contingunt, ut ita veriſſimum ſit, agentia longo ſæpè intervallo divulſa eſſe ab iis quæ patiuntur, ut ſi quis eminus videt hoſtem, etſi hic viciſſim

illum

illum non videat repentè tamen commovetur, expalieſcit, trepidatque & contremiſcit, qui certè motus animi ab externo agente, à ſpecie hoſtis objecti ob oculo recepta, & ad ſenſum interiorem delata, in mentem primum, ab ea in corpora deinde derivatur, agenſque longo intervallo à patiente eſt divulſum, unde ſpiritualis hîc & inſenſilis actio eſt, non realis operatio.

Quomodo intelligendi vulgati Canones phyſicorum?

Itaque movens cum re mota ſimul eſt, intelligi debet de agente proximo, hoc enim ſemper ſimul eſt cum re mota, ut ſunt imaginatio & Spiritus, id quod in titillatione quoque conſtat, quæ ſæpè fit ſine contactu & attrectatione, & nihilominus tamen movens & motum ſimul eſſe recte dicuntur, ſcilicet per contactum internum occultum; qui fit vi ſpirituum ab

ima-

imaginatione impulsorum, partesque illas, quæ titillationem perpeti possunt, ferientium, est enim motus illorum celerrimus. Ex his quis non intelligit, falsas in physica positiones esse generaliter acceptas, 1. agentium & patientium extrema se semper contingunt. 2. Non est vis aliqua agentis in patiens, nisi illud hoc secundum extrema & superficiem contingat. Qualitas enim seu virtus cœlestis & magnetica mediante spiritu istius deductionis directionisque in unguento causa est & quasi vehiculum, quo moto res vecta movetur similiter, nam in vehiculo requiritur, ut sit aptum ad vehendum, ad vehendum autem aptissima virtus est magnetica cœlestis, quæ quasi intervenit & interjicitur inter telum obligatum & vulneratum lo-

cum, movetque seu dirigit vim ad effectum consequendum. Et qui ignorat vel negat, virtutem quandam ætheris naturis elementaribus à cœlo cõmunicatam (quam Astrologiæ periti dicunt formas earum complere & absolvere) qua mediante vis ac proprietas quarundam naturarum formis implantetur, ac inter se corpora connectantur atque cohæreant, & ab hoc ordine nexuque similitudinis naturalis ortum esse, indeq; mirandarum actionum causas eruendas, is in toto hoc mysterio planè cæcutit. Inter virtutem enim & vehiculum primo sympathia est; quæ posteà deducitur transitque in telum, de hinc in vulnus ob familiaritatem & similitudinem, hæc enim efficiens causa est, ut res invicem vinciantur. Unde inter telum obligatum

& vul-

& vulnus contactum fieri nemo inficiaturus est, licet is non fiat immediate extremis simul, & tangat quod remotum est, primum, id enim in hoc mysterio necesse non est, cum enim principiorum hîc actio corporea non sit, contactum corporeum etiam requiri opus non est. Vis enim seu virtus pervenit ad vulnus mediate, non per dæmonem, sed interventu, ut dictum est, virtutis cujusdam sublimioris & incorporeæ, quam Magiæ naturalis Doctores magneticam rectè appellitarunt. Impostoria igitur sanatio non est, Magica tamen Impostores enim vere sunt, qui omne magicum dicunt superstitiosum & impostorium.

Non omne magicum est impostorium.

Ad extremum ipsius unguenti descriptionem & compositionē placuit subjicere, ut nemo non

intelligat, ex mere naturalibus rebus & quidem ipso homine id componi: Baptista Porta l. 8. c. 12. id describit, refertque ad autorem Paracelsum, quem tamen hujus illustratorem amplificatoremque extitisse tantum, non autorem reperio.

Rec. *usneæ concretæ in calvaria furis suspensi & in aëre derelicti.*

Mumiæ veræ,

Sanguinis humani adhuc calentis ling. unc. unam.

Adipis humani unc. ij.

Ol. linii.

Terebinthin.

Boli armen. sing. ʒij.

Misceantur omnia simul in mortario, serventurque in vitro vel urna ob longa & angusta.

Alii, recipiunt usneam abrasam è cranio hominis violentâ morte perempti, duarum avellanarum pondere: *Adi-*

Adipis verris aprugni,
Urſini ſing. uncias vj.

Lumbricorum terr. ex vino lotorum, inque piſtoris fornace ollâ tecta torrefactorum (non aduſtorum) unc. iij. horum in pulverem reddactorum unciæ uni adjiciunt.

Cerebri aprugni ſiccati,

Santali rubri odorati, mumiæ & hæmatitis, ſingul. unc. j. omnibuſque mixtis cum adipe faciunt unguentum. Hæc deſcriptio optima eſſet, ſi ſucco & nervis hoc eſt, ſanguine & adipe humano, (in quibus maximè dominatur Spiritus ille vitalis, vegetabilis & balſamicus) non careret. Itaque in vera hujus unguenti compoſitione ſanguis & adeps humanus non ſunt omittenda, quo etiam modo confectum apud me quovis ut tempore poſſit haberi

(quoniam Chirurgi sæpè vel non sunt præsentes, vel etiam à vulnerato remotiores) nunc operam impendo, quantam possum.

Conficiendum autem est Sole existente in libra, usnea vero colligetur cum Luna crescente, inq; Veneris existente domo, si fieri potest, non Martis aut Saturni. Si in Veneris domo locum habere Luna non potest, diligenter attende, ut possit abradi usnea Luna versante in piscibus, hoc enim signum est omnium convenientissimum propter Jovis domicilium, & Veneris exaltationem, proximum huic est Taurus & Libra.

Quando usnea colligenda.

Praxis. Sanantur hoc unguento sic confecto omnia vulnera, quæ ferro, ictu vel jactu infliguntur, modo haberi possit instrumentum. Excipiuntur tamen illa vulnera, quæ fiunt in arteriis, & uno è

mem-

membris principalioribus, ut corde, cerebro &c.

Immergendum autem ferrum seu telum est quod sauciavit (vel in hujus defectu lignum, seu ramus salignus in apertura cruenta madefactus) in unguentum, & ita relinquendum: æger quotidiè suâ urina vel purâ aquâ vulnus eluat, deligatque mundo panno lineo, semper pus extergendo vulnusq; aurora qualibet mundificando & absq; ullo dolore sanabitur: Hoc Maximilianum Imp. comprobasse in confesso est. Si instrumentum, quo vulnus inflictum est, haberi nequit, aliud ducatur per vulnus, & loco veri teli id inunge utroque latere, reponatur loco mundo & temperato, si enim aëri vel frigori nimio exponatur, excitabitur dolor. Attendédum est etiam, cæsimne an punctim factum

sit vulnus. In punctura enim telum inunguendum est à cuspide capulam versus, in cæsura ab acie
NB. versus tergum. Meminisse præterea oportet obligare tela. Si non apparet quam altè sint infixa, tota sunt inunguenda, si apparet, pars illa tantum, quæ fuit in vulnere. Cito sanaturus sæpè illine (præsertim vero si vulnus est magnum & profundum) si maturatione opus non est: necessitasque non urget, intermitti quidam dies poterunt, imo sufficit, si senis diebus id fiat bis, vel ad summum ter, semper tamen vulnus mane abluendo, extergendo, iterumque deligando.

N. de usneca. Ad extremum de usnea non est consensus: alii petitam eam enim volunt ex capite strangulati, alii parum referre ajunt, sive sit ex strangulati, sive ex alterius cujus-

dam

dam capite. Verum cur ex ſtrangulati potius quàm alterius cujuſdam capite uſnęa petenda, cauſas adhuc à nemine ſcripto explicatas atque allatas vidi. Ego, qui tamen aliorum eruditorum judicio hîc me ſubjicio, hanc afferri rationem poſſe exiſtimo, quod in ſtrangulando, Spiritus vitales ob præſentiam mali præſentis in caput ac cerebrum refugiant, unde quia regreſſus illis ob violentam illam conſtrictionem ad principium ſuum non patet, remanere, eos, & cum ſpiritibus balſamoq; capitis ac cerebri miſceri ac confundi neceſſe eſt. Et licet omnes functiones animales intereant, manet tamen calor ille in oſſibus, nervis, aliisque partibus ſimilaribus, qui & in lapide eſt, & pipere emortuo, ſc. elementalis. His ita commixtis in balſamico ſangui-

ne, vi caloris circumfusi ambientisque humorem vitâ imbuentis, cœlique influxu cooperante, usneam ceu vegetabili quadam vi & virtute in calvaria tandem progenerari verisimilimum est, majoris potentiæ, quam est ea, quæ in alterius cujusdam ex morbo defuncti capite reperitur. In decollatis spiritus non retineri, sed diffugere, evanescere ac dissipari omnibus in confesso est.

NB.

De mumia intellige non vulgatam illam in Seplasiariorum taberna ubique ferè, prostantem, quæ nihil aliud est quam arefacta cadaverum cõditorum caro, non autem eorum infarctus & liquor ex carne humana manans. Perperam etiam faciunt Seplasiarii, qui carnes ossaque contusa medicamentis Mumiæ necessariis commiscent.

Itaq;

Itaque ut legitima mumia haberi possit, in penuria Ægyptiacæ & Arabicæ, quæ concinnabatur ex myrrha, aloe, croco, balsamo, aliisque pretiosis odoramentis, in hospitalibus nostris cadavera obeuntium aloë, myrrha, croco, & aliis ad eam idoneis rebus, replenda sunt & imbuenda, idoneoque tempore eximenda, & ad usos custodienda, hanc enim plurimis pollere facultatibus, præter experientiam graviſſimi autores tradiderunt. Sed de Mumiæ viribus compertis aliâs plura.

F I N I S.

TRACTATUS ALTER DE LUXURIOSIS CONviviis noſtri ſeculi.

VIx puto quenquam fore, qui exiſtimet, aut oſtentatione aliquâ me adductum, aut fiduciâ ingenii ad dicendum in hoc celeberrimo congreſſu acceſſiſſe: abhorret enim ab utroque natura & genius: Nam ſi in minimis rebus oſtentatio reprehẽditur, quo tandem odio dignus eſſem, ſi quẽadmodum Phormio apud Hannibalem de re militari declamavit, ſic ego apud vos doctrina & eloquentia præſtantes, ineptè aliquid oſten-

oſtentando meam importunitatem in theatrum producerem. Sed quoniam officii ratio mihi hoc loco & tempore dicendi neceſſitatem imponit, humaniter à vobis peto, ut pro veſtra pietate & candore qualemcunque orationem, menſes ab hinc quatuor plus minus, commentari à me cœptam boni conſulatis: Colophonem huic adjicere, intercurrentes quidam ſtrepitus muſas meas interturbantes tunc non ſinebant: Nunc verò non ſine labore ad finem eam perduxi, luce etiam tandem donandam: Etſi autem hîc locus poſtulat, ut eas artes & doctrinas, in quibus explicandis verſor, ornem & prædicem, tamen cum de iis ab aliis, eloquentiâ excellentibus, ſplendidè & copiosè dictum ſit, ſumpſi aliud argumentum huic tempori conve-

nientissimum; quandoquidem ad nos redierunt dies bacchanaliorum, qui apud Ethnicos fuerunt hominum aut simulantium furores, aut ebrietate insanientium; qui ad portentosas atq; monstrificas helluationes ac commessationes instituuntur, sola simulatione insaniæ & repræsentatione gestus bacchantium: horum inquam recordatio, & memoria similiumq; monstrificarum bacchationum, quibus nostrum seculum se contaminavit, celebratio, in hanc potissimum me sententiam adduxit, ut de luxus in conviviis origine & primis autoribus ex hoc loco ornatissimo quædam dicere non erubescerem: idque eo facio lubentius in hoc consessu, quoniam scio vos de eo severè & verissimè censuram ferre posse: nullæ hic sunt nugæ: nihil monstrosum, fa-

bulo-

buloſum nihil, neque item inſulſæ traditiones, hauſtæ ex fæce quorundam triobolariorum ſcriptorum, ſed ex autoribus græcis pariter atque latinis percelebribus atque perveteribus: rem tradam corporis non modo ſaluti, ſed animæ quoq; non parùm conferentem: ipſa rerum gravitas atque varietas faſtidium veſtrum propulſabit, attentioreſque vos reddet: de primo & poſtea vario gentium victu & quibuſdam priſci ſeculi inſanæ gulæ irritamentis, quæ ganeoſorum portentoſa ingenia excogitarunt, magna mehercule naturæ injuriâ, ſi conſideratè dicenti auſcultaveritis, non improbabitis ſcio inſtitutum meum, dicendique occaſionem, propterea quod confusè hæc & intercisè tractatá conſcriptáque apud priſcos autores inve-

inveniantur. Meæ institutæ orationis hic erit ordo. Primò dicam de prima mortalium & posteà vario gentium victu, tum de prodigioso conviviorum apparatu & celsis luxuriæ fastigiis: quæ singula dum pertracto, rogo ut per benignè me audiatis & cum silentio.

Primò constat, victum mortalium, eruditissimorum judicio, quibusdam gradibus distinctum fuisse, quibus à summa rusticitate vel potius feritate ad humaniorem primò deventum sit, postremò ad summa luxus culmina.

Primum hominum genus, ut feræ in sylvis & nemoribus versabatur; convenitq; inter omnes, glandiferas bacciferasque arbores mortales tunc præcipuè aluisse, nutricesq; extitisse feræ ac inopis illius sortis.

Deinde

Deinde ex hac vita in ſecundam deſcenderunt, paſtoritiam ſcilicet, etenim ex animalibus ob eandem utilitatem ſylveſtria deprehenderunt atque manſuefecerunt, inter quæ primum oves aſſumtas eſſe autumant, propter placiditatem, aptiſſimæ enim ſunt ad vitam hominum, ad cibos, caſeum ſimul ac butyrum, ad corporis verò tutelam & veſtitum vellera adhibuerunt.

Tertio denique gradu à vita paſtorali ad agriculturam animum adhibuerunt, quam maximè acceptam vitæ fuiſſe ſatis teſtantur populorum erga eam amor ingens & diligentia admirabilis. Illis enim ſeculis nihil antiquius habuerunt, quàm agros ſtudiosè excolere, illumque ampliſſimè laudaſſe exiſtimabant, quem virum bonum Colonum dixiſſent, tuncq;

Encomium agriculturæ veterum.

tuncque pascua & fruges sola regum & gentium vectigalia erant, annonæque vilitas erat incredibilis: haudque dubium est, aurea illa secula verè extitisse, in quibus tam innocenti victu mortales uterentur, iis videlicet, quæ benigna tellure provenirent vescentes, & eo quod honestis manibus excultum esset, ut ita meritò censendum sit, humaniorem liberalioremque victus rationem non extitisse, quàm quæ salutari frugum invento ad vitam sustentandam usa est, quæque vel pauperrimo cuique paratu facilis fuit. In hoc cœlesti munere quantum vita postea profecerit, & quantum solertia ingeniaq; hominum curam eam auxerint atque locupletarint; satis superque testatur aureum illud vitæ genus sublatum, cùm ad postremum gradum luxu-

riæ perventum, ferreaque tunc proles repentè exorta est: hæc ultima vita: hic ultimus gradus nostri seculi est, quem feliciorem solent dicere, qui novis moribus & luxui favent. *Ultimus vitæ gradus luxuriæ.*

Hinc varius gentium victus mirabilisque, quem non unum esse sed innumeros, & penè totidem quot gentes, hominumque linguæ, testatur inter alios, qui res populorum historiâ prodiderunt, quique de situ orbis monumenta reliquerunt Jul. Cæsar in illis suis clarissimis commentariis de rebus bellicis. Non solum enim Cæsar alium Gallorum fuisse victum, alium Brittanorum, alium vero Germanorũ prodidit, verùm etiam inter Germanos variũ extitisse eumq; mirabilem, atq; etiam inter ipsos Gallos, quos agricolationi fuisse deditos & mitiorũ frugum

gum alimentis usos, pomorumq; & vitium succis atque liquoribus extra dubium est: Galliarum enim agros feracissimos, quin & vitibus maxima parte consitos omnium ferè scripta prædicant.

Belgæ à pristinis moribus longè recesserunt, quoniam summo studio vina externa conquirunt terra mariq́ue, etenim apud eos vites nullæ conseruntur: vescuntur præterea carnibus pecorum, quæ illic abundant propter pabulorum ubertatem: verùm ante cuncta panificia fingunt varia ex caseo, lacte, butyro, quæ in summo honore mensarum & commessationum habentur: ebrietati autem magis indulgent quàm cæteri Galli, honorificamque maximè putant non solum viris, sed & fœminis crapulam, præsertim qui Rheno sunt proximi.

Apud

Apud Petragonos & Lemovicos castaneę & rapa à vino & mensę tertium honorem adipiscuntur; rapa etiam Allobrogibus & Germanis in cibo mirificè grata, sicut & castaneæ montanis Lugdunensibus.

Montium Cemannorum populi Arvernis proximi vice panificiis castaneis utuntur, quippe festis tantum diebus vel non infimę sortis homines panificium illic ex frugibus usurpant.

Gasconum gens Aquitaniæ nobilissima inter præcipua pulmentaria allia habet, cepasque quorum olfactum & gustatum in delitias gulæ vertit & suavia condimenta: hi nunc quoque præter cæteros Gallos ventri indulgere magis existimantur, vulgatum enim & maximè nobilitatum apud eos jactatur Proverbium; Satius esse

Aquitaniorũ proverbium.

esse bellè farcire ventrem epulis quam corpus veste molli & pretiosa ornare: ajuntque Burgundinei ventrem esse sericeum. Arverni verò caseo frequentiùs victitant.

Nortmanni malis pyrisq; crudis ac coctis liberaliter vescuntur, suosque ex illic concinnant potus, carnibus quoque vescuntur omnigenis.

Narbonensis Gallia fæcunditate frugum, vitium pomorumque mira varietate ac suavitate nullis aliis terris cedit: Verùm morum civilitate & vitæ nitore atq; lautitia à cæteris Gallis videtur discessisse: pisces habet frequentes, tum recentes tum sale conditos, ante cuncta autem olivas conditas cappariesque manducat, ficus item uvasque recentes, mala citria, arantia, limones inter lautio-

res

res cibos habet & irritamenta: vina apud eos generosissima: oves pascuntur thymo, quo pabulo, mire pinguescunt.

Armonicarum regionum populi inter se vivendi ratione non consentiunt. Brittones enim & Britonisantes victu magis barbaro & fero utuntur: at Gallobrittones maximam partem civilitatis urbanitatisque Francicæ servant, apud quos panificia lauta ex frugibus parantur, vinaque non ignobilia absorbentur. Mediterraneos autem fere omnes Gallos lautiores in cibis haberi atq; humaniores Possidonius Stoicus scribit apud Athæneum.

De moribus Germanorum prodidit Cornelius Tacitus, quod cibi illis olim fuerint simplices, agrestia poma recensque fera aut lac concretum sine apparatu, sine

blan-

blandimentis ad famen ſedandam, ſed adverſus ſitim non eandem fuiſſe temperantiam, quoniam diem noctemque in potu continuarent, qui mos apud illos noſtra etiá memoria pertinaciſſimè perdurat, ut videantur ad perdenda vina geniti: eoque nomine nunc apud Romanos & Hiſpanos peſſimè audiant: Germanos quoque carnibus veſci, ac bibere vinum meracum, hiſtoriâ ſcriptum reliquit Poſſidonius Stoicus: ſed certum eſt totam Germaniam à Romanis minimè fuiſſe cognitam: hodie, quanquam longè mitiori & urbaniore victu degant Germaniæ populi, nihilominus ferinæ cujuſdam & priſcæ vitæ veſtigia quædam retinuerunt, maximè quanto magis vergunt in Septentriones.

Brittanni, qui nunc Angli, ſi

ſi Cæ-

si Cæsari credimus, pecorum magnum alebant numerum, leporem verò gallinam anseremque gustare fas non putabant, animi tamen voluptatisque gratiâ educabant: convecto & deportato frumento, præcipuè verò gallico utebantur, vina etiam nunc ab exteris petunt, Gallis, Lusitanis, Hispanis & Germanis, quæ potentiora sunt, nam imbecilla vecturam non ferunt: carnibus vescuntur largiter præcipuè à pistoribus incrustatis, magni enim illic pecorum greges & armenta boum. Cœlum vero temperatius esse quam apud Gallos, asperitatemque frigoris ab iis abesse experientia testis est. His adjacent Scoti, quibus D. Hieronymus feritatem ac barbariem asscribit, quos etiam adhuc feros invenias, ni aliæ gentes eos cicurárint atq;

expolierint, miseramque omninò victus conditionem iis fuisse historiæ testantur: bubulam in cibis assumunt largissimè, armenta enim hujusmodi animalium fert tellus alitque: frumenta non multum habent, sed adventitiis utuntur.

Italia pro tractuum differentia imperiiq; incremento victum pariter mutavit. Romani enim qui initia imperio dederunt, tum etiam qui id provexerunt, cibos expetebant tantùm qui vitam sustinerent famemq; depellerent. Capitale erat bovem mactasse gulæ causâ: piscibus statim à Roma condita præsertim marinis usos esse constat eruditorum antiquorum monumentis, omninò carnes parcius semper esitasse quàm cæteros populos, verum videri potest, nam & nostra memoria par-

parciſſimè ijs veſcuntur, herbis oleribusque variè utuntur tum crudis tum coctis. Vini autem obſervationes memorabiles apud Romanos fuerunt, nam auctoritatem poſt centeſimum urbis annum cœpiſſe ajunt, Romulumque ipſum lacte non vino libaſſe? & Numam ſanxiſſe ne rogum vino reſpergerent, nec licuiſſe fœminis primùm id bibere, poſtea conceſſum valetudinis tantum causâ: eorum autem qui ſecuti ſunt, cura fertilior & induſtria felicior fuit in vitibus colendis: vini quidem in univerſum ſunt avidi, ſed modum potionibus adhibét, pariterque Hiſpani.

Victus autem Romanorum rationes veriâſſe pro Reipublicæ recta vel depravata inſtitutione, & poſtea Imperatorum virtute temperantiaq; atque etiam libi-

dine & luxuria, dubium non est, unde tot emerserunt leges sumptuariæ & censoriæ, quibus cibaria non ex Otica solùm, sed & domestica prohibebantur, atque etiam ex sue pernæ cœnis detrahebantur. Romani etiam veteres pisces simul cum carnibus una in patella seu lance mensis apponebant, pariterque herbas quasdam ut asparagum: Panificia varii generis conficiebant: lepusculi & perdices raro Romanas mensas subibant ob inopiam scilicet, cætera autem alitum genera frequentius: capreas in macello venales passim reperias, primis semper mensis acetaria imponuntur, æstate peponibus liberalissimè vescuntur, nam plerumque iis solis contenti & pane, prandia sua cœnasque incoant & finiunt: ficus item simul ac uvæ recen-

recentes per autumnum. Vitulinâ nulla caro pretiosior illis gustatur. Vervecina non admodum placet, piscinarum non sunt tam studiosi, neq; ita avide pisces expetunt quam sui majores, quippe rarissimè vel marinos attingunt, nisi religio cogat. Hispani sordes in vivendo aliquibus in locis peculiares habent, quoniam si suis alantur loculis, domi esuriunt & famelici hiant, at quando aliena quadrâ frui licet, nulla gens æque vorax cernitur: vivunt carnibus immodicis, piscibus cum amnicis tum marinis, panificia quoq; lauta faciunt, pomorum ubertas illic varia atque multiplex, maximè citriorum omne genus & punicorum, ficuum, uvarum, quas siccatas alias in terras mittunt: ante cuncta vina illic vehementissima sunt. Secundis mensis quernas

glandes adhibent dulcedine præstantes. Strabo Lusitaniæ montanas gentes querna glande vesci autor est: sunt præterea apud montanos quosdam Hispaniarum populos condimenta & saccharata innumera, officinarum & Seplasiariorum commenta, ea mensas secundas exornant bellariorumq; vices supplent. Siculas mensas & in his Syracusanas potissimum nobilitavit luxuria, quas prudentissimus Plato damnavit: fruges in Sicilia repertas à Cerere narrat antiquitas, quoniam solum illic sit omnium frumentorum fertilissimum, unde & terra illa Romanorum horreum nuncupabatur.

Græci crapulæ gulæq; admodum fuerunt dediti, quare pergræcari pro indulgere genio proverbio circumfertur.

Con-

Conſtat tamen diverſam victus rationem & ſtudia illis fuiſſe: aliter enim Lacedæmonii, aliter Athenienſes vivebant: Lycurgus leges Lacedæmoniis condens tantum ciborum unicuique elargiri juſſit, quod ad bonam corporis valetudinem ſatis eſſet: certum itaque numerum frumenti ſingulis in ſingulos annos emetiri mandavit, & liquores pro ratione, atque id uberius viris, fœminis vere parcius. Præter ea inſtituit convivia publica, in quibus nullæ præter vulgares eſcæ apponerentur, probroſum exiſtimans ſimul ac inutile animis corporibusq;, coquorũ condimẽtis & saporũ coacervationibus ſaginari.

Solebant præterea Lacedæmonii epulas ſuas condire labore in venatu, ſudore, curſu, fame, ſiti: unde Dionyſio Siculo negan-

ti, se jure illo nigro, (erat enim hoc inter obsonia illis celebratissimum) quod caput cœnæ fuerat, delectatum, respondisse fertur qui illud coxerat, minimè mirum, condimenta enim defuerunt.

Sybaritæ gloriæ virtutisq; loco delitiis mollitieique dediti vitam despiciebant, quoniam mortem non timerent. Spartani vero & vivendum liberaliter & moriendum censebant, sed utrumq; cum virtute, teste Plutarcho.

Verum Athenienſium longe alia fuit vivendi ratio, quippe luxui omnino deditos fuisse Græci ferè omnes testati sunt, ipsiq; Poëtæ Comici imprimis Atticas cœnas risérunt. Socrates enim cibos detestabatur, qui non esurientem invitarent ad edendum, similiter & potus, qui non sitientes ad bibendum.

Athe-

Athenienſes in cœnis ſolebant lances apponere, quæ quinque alias parvas lances continebant, quarum una referta erat allio, altera duobus Eſchinis, tertia placentâ, quarta conchis decem, quinta antaceo parvo Eſt in exemplis paraſitum quendam interrogatum, num cœnæ Atticę Chalcidicis lautiores eſſent, an verò hę Athenienſibus præſtarent, reſpondiſſe, Chalcedoniacum proëmium pretioſius eſſe & ſuavius quàm Atticorum totum apparatum, appellans videlicet Proëmium cœnarum, oſtrearum multitudinem & varietatem: nihil ad peregrinos exportari licebat præter ſolum oleum, nam qui ficus exportantes oſtenderent Sycophantæ apud illos dicebantur.

Perſarum victum exponens Xenophon ad panem quicquàm eos

adhibuisse negat præter nasturtium. Sed de eorum luxu & ganea nihil hîc asscribendum duxi, cùm apud omnes fere scriptores passim complura tradita legantur, & in altera parte obiter quædam sim relaturus.

De Ægypto certum est & frugum & vitium fœcunditate eam feliciſſimam fuisse, quin & pomorum omni genere, olerum quoque ac herbarum cibis supra modum usam, pisces amnicos marinosq; & salsamenta immodicè esitasse.

De aliarum gentium victu quæ à graviſſimis auctoribus literis assignata sunt & quasi per monumenta tradita, scio per multa esse ejusmodi, ut vix fidem impetrare valeant, multisque ea videantur incredibilia. Sed quia ex illis mundi partibus, quarum gentiũ mul-

multiformes mores, ritus, mirabilemq; victum enarraturus sum, homines, fruges, legumina, aves, animaliaq; nostris incognita terris creberrimè ad nos terra mariq; convehuntur, fidem facile adhibendam ijs censeo, præsertim si naturæ eximia benignitas & vis ejus immensa perpendatur: fateor permultos qui à patrio solo non discesserunt, multa hic non sine fastidio audituros: veruntamen candidè meum hunc laborem velim interpretentur, quippe si omninò à Musis remoti non fuerint, erunt non pauca quæ animũ delectabunt per tot gentium cibaria discurrentem.

Sed hoc præfari lubet, ut non unus olim fuit, ita nec hodie quoq; mortalium victum unum sed innumeros esse & quidem totidem, quot hominum linguæ:

Ferinum ante aliquot annos & absurdum apud nostrates fuit, cochleis vesci, ranis, testudinibus, at in universa ferè Gallia inter præcipuas mensarum delicias reponuntur.

Thraces quosdam canibus victitasse Picus Franciscus auctor est.

Arcades carnes & maham in cibatu habuisse ferunt, quin & glandes, unde & balanophagi dicuntur.

Hircani vescebantur venatibus quorum varietate abundabant Marcellino teste.

Getis quibusdam vini usus omninò ignotus, quin & frugum, victum illis ovillum pecus commodat, ex quo Nomadum Gethanumque plurimi, teste Columella, galactopotæ dicuntur.

Xenophon prodidit Mosyne-

cos

cos oſtentaſſe divitum liberos bene curatos, non alio tamen cibo quàm elixis nucibus enutritos:

Armeniam minorem fœcunditate percelebrem referunt, qui paulo ante noſtram ætatem eam peragrarunt, nulliuſque, quod ad victam hominis pertinet, indigam, quin etiam cœlum ſaluberrimum & clementiſsimum. Præterea Perſarum regionem omni frugum abundantia nobilé narrant, vinoque & pomis felicem, ſicut & palmetis quæ dactylos uberrimè ferant, piſtaceis præterea & malis quæ paradiſea appellantur:

Tartarorum victus parum diſtat ab eo quo Nomadas Scythaſque uti prodidit antiquitas, quo etiam utuntur non paucæ Septentrionis gentes, quippe plurimus his lactis uſus & caſei.

Orientis populi plurimi qui Imperio Magni Chan parent, potus suos ex oryza, & genere aromatum concinnant: carnes crudas contritas primum, deinde aromatis respersas oleisque odoratis imbutas vorant: Serpentibus etiam nunc quæ illic nascuntur copiosissimæ & grandissimæ, in cibis suis utuntur, in delitiis quoq; habent hominum carnes, qui morbo non extinguuntur, quales sunt qui in bello ab iis trucidantur.

Solinus autor est, Essecclones Scythiæ populos parentum suorum funera cantibus lætos prosequi fuisse solitos, convocatisque propinquorum cœtibus cadavera ipsa, (horrenda parentalia,) dentibus laniasse, pecorumque visceribus mixta inter epulas apposuisse, Cranio verò poculi loco u-

sos

ſos fuiſſe, quod & auro circumcirca ornarunt.

Matthias Michon de Sarmatia Aſiana ſcribens Tartarorũ quoq; meminit & omni frumento carere aſſeverat, omniq; leguminũ genere; excepto milio, quod magna cura ab iis ſeri idem tradit: equorumq; greges educant quorum carnes manducant, ſanguinem vero equinũ milio commiſcent, coquuntque ſimul & mandunt: quin etiam ipſum potant ſolum, idq; & barbaris olim placuiſſe teſtatur Virg. carmine bucolico, & lac concretum cum ſanguine potat equino: acido lacte oblectantur, id nãq; tum ſtomacho ſalutare eſſe ſibi perſuadent, tum alvo dejiciendæ experimentis idoneum comprobarunt; ſi quando vero epulantur ſplendidius, lac ſublimatum, ſi liceat eo vo-

ca-

cabulo uti in elegantioris penuria, bibunt, quod mirabile dictu, promtissime atq; ocyssime in cerebrum penetrat inebriatque.

A Tartaris Turcas oriundos idem censet, quare ab eorum victu non procul recedere. Qui de Rhodi expugnatione historiam scripserunt, omnino gentem illam immundã & obscœnam tradunt. In Sarmatia Europæa Podolia fertilitate nobilitata est, quippe illic fruges feliciter & lętè proveniunt, cibaria igitur ex frugibus, potus verò ex melle concinnant, quòd illic abundantissimè gignitur, atque etiam in Ruscia: aquæ omnes sponte illic pisculentæ sunt, in quibus lucii capiuntur amplitudinis mirandæ saporisq; suavissimi.

Verum & Lithuaniæ Moscoviæque amnibus usu venit, ut sponte &

tè & copiosè alant generentq́; pisces, qui & magnitudine & suavitate nobilitantur. Moscoviæ idem Matthias mentionem faciens potum eis esse scribit ex aqua & melle confectum: aromatis crebrius utuntur, nam & ea cum melle arte Chymica sublimant, existimantes hac potione visceribus calorem excitari adeo insignem & salutarem, ut possit inclementissimis frigoribus fortiter repugnare: avenam ipsam sublimant, ex qua sublimatione elicitur liquor, quam aquam ardentem vocant, æque ac apud Germanos, Gallosque & Italos ex vinis vehementioribus: Principis edicto severissimo vini potus aliorumq; liquorum qui ebrietatem concitant, prohibetur, nec licet ea bibere nisi ejusdem Reguli indulgentiâ.

Hydromel.

NB.

Musco-

Muſcovitis parent Scythæ & Antropophagi humanis corporibus veſcentes, ſine ullo degentes panificio, vino, aliisq; potibus.

Paul. Jovius literis mandavit Moſcoviam melopepones ferre, quod mirazi ſubit, quippe gelidiſſimis Boreæ flatibus tenerrima quæque exuruntur. Certiſſima meſſis in melleatq; cera eſt, namq; illic apes in arborum campis mella conficiunt & probatiſſima & copioſiſſima: domi opiparè & lautè epulantur, gallinæ ſiquidem & anates ſingulæ pro ſingulis argenteolis nummis veneunt: venatio & aucupia menſas magnatum opulentant, vina neſciunt præter exotica, iisq; utuntur in Sacrificiis & conviviis luxurioſioribus oſtentationis gratia.

Lap-

Lapponum gens, ſupra quam credibile ſit, fera eſt & agreſtis, neque enim fruges neque vina, neque poma novit: ſagittandi arte ſola victum quæritat & ferarum occiſarum tergoribus veſtitur.

Colmogora Moſcoviæ contermina regio frugibus abundat, ſeminaq́; terræ mandata nullo illis beneficio aratri proveniunt, admirabili celeritate naturæ feſtinantis ut Jovius teſtatur. In ſubjectis Moſcoviæ campis, capreārum, leporumq́; incredibilis multitudo cernitur, quæ nemini aut plagis aut canibus venari licet: lacus quoq; habent, unde piſcium admirabilem copiam expiſcātur: eademque penè de moribus & victu cæterorum populorum Septentrionis literis mandata reperiuntur, tum apud veteres, tum apud recentiores.

In

In Oriente porrò traditur esse quosdam populos, qui sine ullis arboribus, sineq; frutice degant. Plurimæ quoque gentes frugum, arborum, quin etiam pecorum expertes inveniuntur.

Scytharum multa genera, qui corporibus humanis vescerentur, olim fuerunt, & esse nostro ævo in nova India Cannibalos vocatos accepimus. Adde quod quidam in remediis summis habent viscera ossaque humana vorare, sanguinemque gladiatorum bibere & quidem ex homine ipso sorberi ex ipsa vena secta calidum adhuc & spirantem efficacissimum putant. Fuerunt apud Græcos qui scrupulosè hominum viscera sunt persecuti, eorumq; sapores.

Æthiopum gens cujus regio à Neroë ad fluvium Hydaspin porrigitur,

rigitur, ſcorpionibus veſcebatur aſpidibusque.

Quintinus Heduus ſcribit, ſe vidiſſe in inſula Melita, qui ſcorpionem ederet innoxiè. Sunt enim illic ſcorpiones veneni expertes. Supra Boryſthenem eſſe gentem Sauromatum, quæ tertio ſemper die capiat cibum: Ad extremos verò Indiæ fines gentem Aſtomorum fuiſſe, ſine ore, corpore toto hirtam, veſtitam frondium lanugine, halitibus tantùm viventem & odore, quem naribus trahebant, memoria proditum eſt: quæ ſi vera ſunt, quis miretur Democritum mellis odore vixiſſe.

Qui Athon montem incolebant, viperinis carnibus alebantur, itaque nec capiti nec veſtibus eorum noxia corpori animalia innaſcebantur.

Pan-

Pandoræ locuſtas in cibis habuerunt atq; etiam Parthi.

Gens Medunnorum appellata animalium, quæ Cynocephalos vocabant, lacte vivebant. Arimphæi gens baccis alebatur.

Celenophagi teſtudinibus veſcebantur, quarum teſtis caſas ſuas integebant, idq; genus hominum nova India alit.

Candei ſerpentibus veſci aſſueti, & ob id Ophiophagi dicti.

Libes ovillam non guſtabant, erant enim apud eos id inexpiabile, ſi quis ediſſet.

Judæi atq; Ægyptii, non veſcebantur ſuilla.

Troglodítæ ſpecus ſubibant, alebanturq; ſerpentibus.

Riphæis baccæ erant alimenta. Nonnullis Indiæ populis cæſorum parentum viſceribus epulari fas erat.

Carma-

Carmani ſine fruge ac veſte, ſine pecore, ſine ſedibus degebant, piſcibus veſcebantur, atq; eorum cute ſeſe velabant. Pharuſſi pecoribus tantum alebantur.

In Æthiopia hominum multiformes miræq; effigies reperiuntur, tum victus ratio varia & incredibilis: illic enim gentes eſſe ore concreto & naribus carentes, unoque tantum foramine ſpirantes, tradiderunt Priſci, & potum avenæ calamis trahere. Quibusdam ignotum fuiſſe ignis uſum narrant ante Ptolomæum Latyram Ægypti Regem, atq; illic fuiſſe Nomadas qui Elephantis veſcerentur.

Fortunatarum inſularum incolas inprimis beatos exiſtimare poſſumus, quibus ſua ſponte tellus abundantiſſimè ſuppeditat alimẽta, aliis ſuper aliis ſcilicet innaſcen-

nascentibus, quam felicitatem in quibusdam orbis Indici nuper patefacti insulis spectari accepimus.

Agriophagi Panterarum carnes leonumq; edebant.

Pamphagi omnia vorabant, Æthiopum pars quædam locustis tantum vixisse fertur, fumo saleq; duratis in annua alimenta, sed quadragesimum vitæ annum non excedere.

Alii Orientis populi piscibus vivunt, tum siccatis tum recentibus, quorum captura uberrima fit. Martio, Aprili, Majoq; mensibus, contritos eos & in Massam redactos in panificia cogunt, siccataque in annua cibaria reponunt.

De victu & cibo novæ Indiæ, sive novi orbis non ita pridem à Christianis patefacti constat varium

um eum esse, fertilitate soli alibi; alibi vero infœcunditate nobilem, herbarum quoq; fruticum, arborum, pomorum odorumq; & alituum innumera genera esse reperta, quæ non minorem admirationem præbent, quàm incognitæ olim res Indicæ: alit præterea oves, & alia pecora, aprosq; affatim, abundat melle, saccharo & vitibus, quæ plus fundunt uvarum quàm foliorum.

Qui terras incolunt prima Americi Vespucii navigatione visas, omninò frumenta ignorant, cibaria autem iis sunt poma atq; herbæ, pisces quoque: radicem quandam in farinam redigunt, qua vice panis vescuntur, hanc alii juccam, alii Chambi appellant: porro carnes nullas attingunt præter humanas: Eadem navigatione reperta gens est quæ in

cibo habet animal quoddam magnitudine quidem capræ, ſpecie verò Serpentem referens.

Qui primi è Chriſtiano orbe in eas terras habitatum deducti ſunt, durarunt quidem aliquot annis ſolis herbis, pomis, radicibusq; viventes, verum poſtea ad alia cibaria tranſierunt, quippe venter ingenii largitor docuit, invenitque cibos, quos primùm exitiales experti ſunt, innoxios reddere. Etenim jucca radix primùm deguſtata illis mortifera fuit. Verùm procedente tempore, cum id venenum in radicis ſolo ſucco eſſe comperiſſent, aqua coctam ac igne toſtam mandere cœperunt abſque noxa: navigatione Joſephi Indi compertum habetur, regionem indicam, quæ Carangonora dicitur, ſitam inter æſtivum tropicum & æquatorem, nucibus,

quas

quas Indicas appellamus abundare, herbarum insuper 24. radicibus vesci, ex oryza verò panes conficere: Sunt etiamnùm Palmeta, ex quorum fructibus panes conflant vinum eliciunt, acetum temperant, oleum exprimunt, atq; etiam saccharum: quod ideò minus mirabile videtur, quod Strabonem auctorem gravem eadem penè in libris suis de orbis situ, tradidisse reperio. Ex palma enim fieri panem, mel, acetum, & oleum scripto mandavit: multa quoque illic arborum genera, multa herbarum, multa quadrupedum, alituum & piscium videri, quæ non alibi, testantur, qui in eam navigarunt, poma quibusdam instar messium sunt, aliis herbarum radices.

Sed ne quid prætereamus, Calechutana cibaria attingemus:

qui in eam terram primiè Christianis navigationē instituerunt, narrant incolas lactè & butyro vesci, panesque factitare sine frumento in foco tantum coctos & cinere. Oryzæ apud eos summa abundantia, eamq; cymbalis saltationibus, omniq; lætitiæ genere ferunt, sua dæmonia precantes, ut sit oryzæ uberrimus proventus, hac enim varias epulas conficiunt: ex palmis potant liquorem, carnibus piscibusq; promiscuè vescuntur, à bubula tamen abstinent, boves namq; sacro sanctos putant.

Qui colunt Insulam, quæ S. Johannis porta dicta est, canes alunt ac saginant in usum cibarium, verum nullus illis latratus est, rostrumque habent vulpinū. Infima plebs piscatu nutritur, muriumq; venatu. Incredibilia pro-

profectò sunt, quæ de felicitate illius Soli tradita legim⁹, & præsertim in arboribus & pomis producendis.

Mameluchi qui Sultano Ægyptio parebant, equorum, camelorum bubalorumq; carnibus victitârunt. Arietes in illis locis nascuntur memorabiles, quorum aliqui caudam gestant 40. librarum, adeoq; obesos, ut vix progredi valeant: nonnulli arietes cornua damis similia gerunt, quorum uno aureo duodenos veniisse tantum proditum est: capras præterea grandes admodum illic reperiri traditur, quæ uno partu 4. hædos enitantur: Atq; hæc de vario mirabiliq; gentium victu huic orationi adjicere volui, ut is non rudis omninò, qui non audierit, in istiusmodi rerum auditionibus reperiatur.

Nunc ad alteram orationis meæ partem prógredior in qua monſtroſa & fabuloſa omittam, tantum quæ tum Græcorum tum Romanorum hiſtoriis nobilioribus mandata inveni, vivendi, illuſtrium quorundam virorum exempla attingam, victus cibosq; oſtendam, unaque opera luxum & ſobrietatem aperiam: ubi adnotaſſe oportet, aliquando bene nos debere de moribus noſtris & vivendi ratione ſperare, aliquando verò peſſimè, quandoq; enim parſimonia indicabitur, quandoque inſanus luxus ejusq; aſſeclæ. Monſtrificas vobis hîc exhibebo cœnas, prodigioſas atq; portentoſas, auribus eas percipietis, non guſtabitis, & ſi cui fors an ſalivam moverim, lautiore tamen & ulteriore quodam ferculo palatum explere non valeo. Nolim,

inquit

inquit Cicero, de finibus, mihi fingere asotos, qui in mensam veniant & de conviviis auferantur, crudique postridiè rursus ingurgitent.

Certum est autem à Græcis & Romanis omnem ad nos fluxisse luxum. Victo enim Mardonio Magni illius Xerxis duce, Græci aurum inter se partiti sunt, unde apud eos primum luxuria cœpit, si Justino credimus, quemadmodum Asia primùm devicta luxum misisse in Italiam fertur: Tempore enim Manlii Curii Respub. Rom. nondum luxuriabat, nec ad luxum inclinabant mores.

Diebus festis Græci inferias agentes poculis certabant, & qui cæteris præbibebat, promachus nuncupabatur quasi præpugnans, quatuorque choas, id est, congios ebibebat. Cremato Calano, Alexander

xander convocatis amicis & ducibus ſolenne convivium inſtituit, in quo vinariæ potationis certamen indixit, victori coronam proponens unius talenti, quam promachus quidam quatuor congios ingurgitans accepit bibaciſſimus omnium.

Luxum autem Romam & invexiſſe, & auxiſſe atque ornaſſe etiã Lucullus perhibetur, quem hoc nomine inprimis nobilitatum in venio apud autores. Devictis enim duobus maximis & potentiſſimis Regibus Mithridate & Tigrane ingentes ſibi comparavit opes, quas Romam ingreſſus conterere omnino ſtuduit, quod tamen efficere non potuit neque hortorum amœniſſimorum intolerabili impenſa, neq; ædium cœnationumque amœniſſima ſtructurâ, quin nec conviviorum

quo-

quotidiano apparatu, unde adagio etiamnunc celebrata ejus luxura est, inq; proverbiũ abierunt delitiæ Luculli. Cœnationes ita ordinatas habebat, ut taxata cœnarum summa unicuiq; loco esset, id est, singulis conviviis definitum erat pretium, & apparatus splendor. Quod vel testatur cœna illa impendio quinquaginta millium apparata, hoc est, mille ac ducentorum quinquaginta aureorum, tanta celebritate ac lautitia epularum, ut Pompejus & Cicero, quibus illa dabatur, obstupescerent. Livius de bello Macedonico de triũpho Manlii loquens, epulæ quoq; ipsæ, inquit, & curâ & sumptu majori apparari cœptæ, tunc coquus vilissimum antiquis mancipium, & æstimatione & usu in pretio esse cœpit, & quod ministerium fuerat, ars haberi

cœpta: Coquos enim ſingulos pluris, quam equos quiritabantur. Et hodiè nullus propè mortalis æſtimatur pluris, quàm qui peritiſſimè cenſum Domini mergit. Non tulit tamen hanc palmam ſolus Lucullus, quippe ejus prodigentiam M. Apitius nepotinis helluationibus ſi nō exſuperaſſe, æquâſſe tamen dicitur, ob quod in proverbium abierunt cœnæ Apitianæ, ſexcenties enim ſeſtertium, id eſt, quindecies centena aureorum millia inexplebili illa in gluvie helluatus eſt, cumque poſſet adhuc ducentis quinquaginta millibus vitam lauto elegantique victu producere, tamen venenum miſer hauſit, ne patrimonio tanto ſupereſſet, quod jam defecturum eum videbatur. Plinius aptiſſimum omnium nepotum appellavit gurgitem. Suidas

ſic

sic de eo mentionem facit: Apicius Marcus in Luxum & inusitatos sumptus multas argenti myriades in ventrem absumpsit.

Hujus meminit quoque Athenæus lib. 1. asserens eum delicatum & locupletissimum, ab eoque complura placentarum genera Apitiana nuncupata esse. Quin & tanta erat insania gulæ hominis illius, ut in Lybiam ventris explendæ gratiâ navigârit.

Constat autem non aliunde majorem epularum luxuriam fuisse apud Romanos quàm è piscibus: Unde piscinarii nobilissimi Romanorum dicti: Inde ostrearum vivaria illa celebratissima Sergii Auratæ qui primus optimum saporum ostreis adjudicavit: nec cessavit gula quin & reliquorum piscium vivaria instituëret: Hujus inventi autor fuit Licinius

cinius Murena, cujus exemplum deinde nobilitas secuta est, Philippus, Hortensius, Lucullus, cujus piscinæ quadringentis sestertiis venière: pretia enim piscium insana extitisse docet Mullus ille tantoperè jactatus ac nominatus à Plinio, Juvenale & Macrobio. Hunc ab Asinio celere viro consulari emptum millibus nummûm Plinius tradidit, id est, ducentis aureis æstimatione Budæi.

Meritò igitur Imperii Romani ruinam prædixit Cato ille, cùm præmoneret, vix posse rempublicam illam, in qua quidem piscículus pluris quàm bos veniret, consistere, nam pariter Luxuria invecta est, & Carthago devicta, cujus excidii autor & suasor extitit Cato, sumpto argumento à præcoci ficu triduo inde allata.

Cæterùm mira & immensa

avium

avium pretia, si quis animo reputet, facilè coniiciet, auro & argento Romanos exuperasse, urbemq; Romam quasi arcem quandam expilatorum orbis totius videbit. Singula paria columbarum veniisse denariis quadringentis, Plinius testis est. Varro verò ait singula paria ducenis nummis vulgò veniisse, sicq; essent eximia, singulis millibus nummûm.

Corvum loquacem viginti millibus, nummûm emptum constat, id est, aureis quingentis: turdos singulos ternis veniisse denariis historia proditum est: horum igitur 5. millia hoc pretio divendita sexaginta millia nummûm faciunt, & certum est tanta fuisse Romæ turdorum aviaria tempore Varronis, ut ex eorum fimo agri stercorarentur. Pavones quoq; in summo pretii culmine fuisse ajunt.

junt. Marcus enim Aufidius Lurco ſaginare eos primus inſtituit, unde quæſtum Seſtertium Sexaginta millium habuit, ut teſtatur Plin. Varro ſupra ſexagena millia nummûm dixit, quod & Budæus confirmat, hoc eſt ejus æſtimatione mille & quingentos aureos, ex quo vectigali poteſt patere quanta fuerit gulæ populatio. Ova eorum venierunt denariis quinis. Hortenſius Orator pavonem primus cibi gratia Romæ occidit, & augurali cœnæ appoſuit, cujus exemplum poſteritas ſecuta in privatas epulas tranſtulit: Sed neq; in anſeribus ingenia Romanorum impigra viſa ſunt, præcipuè verò epatis bonitatem novêre, fartilibus enim in magnam altitudinem creſcit.

Aviaria primum inſtituit omniùm generum avibus incluſis

Mar-

Marcus Lælius Strabo. Pretia quoq; pomorum mirabilia tradidit Plinius, nam ſingula Perſica primum ſeſtertiis quaternis veniiſſe ait, deinde augeſcente gratiã, auctoritate ſcilicet iis veſcentium, pretium quoq; adauctum ad trecentos nummos.

Quare mirum videri non debet, ſingulas arbores, ut tradit Plinius, millia nummum annuo reditu meruiſſe, cum ſeptem & ſexaginta poma hanc ſummam conficere potuerint, tricenis nũmis ſingula venundata. Ergo ſingularum arborum circa ſuburbana Romæ majus erat vectigal, quam apud antiquos prædiorum. Præterea ut nihil intentatum luxus relinqueret, inventum quoq; eſt quadrupedes ſaginare, tum feras tum domeſticas, & menſis ſolidas apponere.

Ser-

Servilius Rullus primus Romanorum in epulis aprum solidum apposuit, Persarum Magnates credo imitatus, qui in suis mensis solidos asinos, equos, camelos & boves assatos ponebant, ut Græci autores tradunt, nec solum in feris ventris insania visa est, sed & in domesticis, Suem enim celerius castratione pinguescere repertum est, neq; ex alio animali numerosior materia ganeæ inventa est, quare Censoriæ leges de nullo alio pecore frequentius paginas suas nobilitârunt. Interdicta enim cænis glandia, abdomina, testiculi, vulvæ, sincipita & verrina.

Minus profectò mirabilis videtur lancium amplitudo tantoperè celebrata, quando pecora integra mensas Romanorum subiisse, Romanorum historiâ proditum invenietur. Vi-

Vitellius in principatu ſuo ducentorum ſeſtertiorum, id eſt, quinque millium aureorum commentus eſt patinam cui faciendæ fornax in campis exædificata eſt. Eſcaria inſuper vaſa ex murrhinis fieri cœperunt poſt Pompeii victoriam, non tamen ſine magna ejus infamia, qui tanti luxus autor fuiſſe viſus eſt.

Nero capedinem unam murrhinam quadringentis ſeſtertiis paravit. Verùm alios fuiſſe mores Romanorum ante Carthaginem everſam clarum eſt, etenim legati Carthaginenſium dixiſſe aliquãdo feruntur, nullos hominum benignius inter ſe vivere, quam Romanos, eodem enim argento apud omnes cœnitaviſſe ipſos: at poſtquam de ea triumphavit Scipio aurumq; illud grande Punicum tranſtulit, totum in appara-

tus

tus mensarum paulò post transiit. Verùm ad cibos redeamus.

Glirium somniculosorum saginа quoque instituta est, & vivaria, ne quid venter non devoraret. Cochlearum pariter & saginam & vivaria commentus est Fulvius Hirpinus, ut illæ altiles ganeam quoq; implerent. Sed & vermes qui in ligno humore scilicet nimio nascuntur, Cossos appellant, saginare altilesq; facere luxus invenit, quin & aliæ fœdiora animalia in delitias gulæ verterunt.

In vinorum quoque differentiis insaniviſſe victorem orbis populum in confesso est. Primum enim fuit magna parsimonia, vel propter raritatem, vel quoniam sibi quisque moderabatur, transmarina enim diu fuêre in autoritate, sed ubi bona sua intellexit Italia falernumque repertum, ob-

scu-

ſcurata eſt eorum gloria. Verùm & de menſis ſecundis & mellitis operibus aliquid deguſtandum: per mellita hîc intelligantur fercula dulciora, quæ tunc menſis ſecundis inferri ſolebant, ut noſtra memoria Saccharati miſſus epularum à piſtoribus dulciariis, & omnia quæ bellariorum cenſu continentur, & ſaccharei panificii operisq; ſtructura in cœnis, quæ in lanceis argentis ad oſtentationem traducuntur, magis ut delibentur, quàm ut eſitẽtur. Nero indicebat familiaribus ſuis cœnas, quarum uni mellita quadragenis ſeſtertiis conſtiterunt: Quadragies autem ſeſtertium, ſi centenis millibus aureorum noſtrorum æſtimentur, quanti ipſa cœna æſtimari poterit? hic verò divitiarum & pecuniæ fructum non alium expectabat quàm profu-

fusionem, sordidos ac deparcos esse dicens, quibus ratio impensarum constaret, prælautos vero & magnificos, qui abuterentur ac perderent: Laudabat idem mirabaturque avunculum Cajum Caligulam nullo magis nomine, quàm quòd ingentes Tiberio relictas opes brevi spatio prodegisset: hic in omni vitæ parte prodigos omnes superavit, commentus novum balnearum usum, portentosissima quoq; genera ciborum atq; cœnarum, ut calidis frigidisq; unguentis lavaretur, pretiosissimasq; margaritas aceto liquefactas sorberet, convivis ex auro panes, atque obsonia apponeret, aut frugi hominem esse oportere aut Cæsarem, dictitans. Is opes immensas non modo deparci, sed & sordidi Imper. Tiberii, quas annis tribus & viginti con-

confiscaverat, non toto vertente anno absumpsit, id est, sexcenties septuagies quinquies centena millia aureorum nostrorum, æstimante Budæo,

Vitellius præcipuè luxuriæ ganeæq; deditus novies millies sestertiûm paucis mensibus intervertit, teste Tacito: quadrifariam epulas dispertiebat, in jentacula, prandia, cœnas, & commessationes, quibus ut sufficeret, vomitibus assiduè utebatur. Quod etiam factitasse Claudium Cæsarem invenio, pinnâ in os indita, vinum enim cibosque quocunq; tempore apparebat avidissimè, convivia agitabat & assidua & ampla, nec triclinio unquam absceſſit, nisi distentus ac madidus, erat boletorum avidissimus: Quare per hanc occasionem venenũ ei datum ab Agrippina conjuge,

quo

quo facto illa terris venenum alterum ſibiq; ante omnes Neronem dedit.

Verùm famoſiſſima illa fuit ſupra cæteras cœna, Vitellio à fratre data, in qua duo millia electiſſimorum piſcium & ſeptem avium appoſita traduntur. Scarorum jecinora, Phaſianorum, & Pavonum cerebella, linguæ Phœnicopterum, murenarumque lactes à Carpathio uſq; fretoque Hiſpaniæ petitæ, eam exornarunt gloriaq; palati extiterunt.

Convivia M. Antonii & Cleopatræ commemorare ſupervacaneum eſt.

Unum tantùm memoratu inprimis dignum adjiciam. Marcus Antonius exquiſitis quotidiè epulis ſaginabatur, & per luxum inuſitarum debacchabatur: Ad eum enim Reges Orientis ſalu-

tandi causâ confluebant, quibus impendiis exhauſiſſe ducenta millia talentorum fertur, hoc eſt, centies & vicies mille aureos. Verum Cleopatra Ægypti Regina lautitiam ejus omnem apparatumque faſtu meretricio ſuperbiaq; detrectabat, dictitans una ſe cœna centies ſeſtertiûm abſumpturam. Quod equidem etſi incredibile Antonius exiſtimaret, cupiebat tamen diſcere, quare condicta eſt cœna, in qua Regina magnificam alias epularum ſtruem, ſed quotidianam Antonio poſuit: irridenti autem & computationem expoſtulanti illa ſe in ea cœna taxationem conſumpturã confirmabat, quare menſam ſecundam inferri jubens detractum auribus unionem aceto merſit & liquefactum abſorbuit: ſingulare & ferè unicum naturæ opus, ut

ait

ait Plinius, auribus gerebat Cleopatra.

Quis quæso non obstupescat uno ferculo secundæ mensæ centies sestertiûm, id est, ducenta & quinquaginta millia aureorum absumta? tanti enim æstimatus est hic in unio Cleopatræ.

Tres historiæ prodiderunt qui experti sunt quid in gloria palati saperent margaritæ: Æsopi Tragœdi Filius primus id ausus est tentare: deinde Regina Aegypti, tertius Cajus Cæsar Romanus princeps, & certum est luxum auctum, & diminutum moribus principum dominantium. Lentuli quoq; auguris luxus cœnarum nobilis fuisse proditur. Hic à Seneca maximum divitiarum exemplum appellatus est, millies enim sestertium vidit, hoc est, centies centena millia aureorum: is est a-

pud

pud quem Cicero cœnavit, ut ipſe refert in epiſtolis.

Clodius quem Milo interfecit, perditâ fuit luxuria: quin & Milo ipſe, egregius prorſus homo cujus æs alienum inter animi humani prodigia duxit Plinius, rerumq; memoriabilium æſtimator & acutus & cenſor gravis.

Heliogabalum luxuriæ perditiſſimæ quoq; fuiſſe hiſtoriæ tradunt. Sortes is convivales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius haberet X. Camelos, alius X. ſtruthiones, alius X. muſcas, alius decem lb. auri, alius decem plumbi, alius decem ova gallinacea, alius X. urſos, alius X. glires, alius X. lactucas, alius X. lb. bubalinæ carnis: exhibuit navales pugnas in Euripis vino plenis. Idem nunquam minus centum ſeſtertiis cœnavit, aliquando ac tribus

millibus computatis, teſte Lampridio.

Julius Severus donavit calices ſingulis convivis per ſingulas potiones myrrhinos & cryſtallinos: dedit vaſa aurea, argenteas & aureas coronas, dedit & vehicula cum mulionibus & mulabus, cum juncturis argenteis, ut ita à convivio redirent: Convivium æſtimatum ferunt ſexagies ſexcentum millibus ſeſtertiorum, teſte Capitolino. Unde non in cibis tantum, verum etiam in omni vitæ parte modum nullum ſtatutum apud Romanos aliquot ſeculis in confeſſo eſt, Siquis enim reputet animo ludorum cœnationumq; apparatus prodigentiſſimos, ædium & villarum inſanas ſtructuras, aliaq; id genus, horreſcit animus, nec mirum, cùm terrarum Domini una cum opulen-

tia

tia gentium victarũ, mores quoq; & cultus induerint, quod in Alexandro notissimum est, is enim de victo primùm Dario luxuriosa convivia & epularum magnificentiam sectari cœpit, ut transiret in mores quos vicerat, immemor scilicet tantas opes his moribus amitti: & certum est paucas fuisse gentes barbaras, quæ aliquando luxuriam non sint amplexatæ, quod malum à victoriis & præda spoliisq; hostium profectum constanter asserendum.

Cum itaq; luxus apud Romanos ad summum fastigium culmenque ita perveniisset, nullis legibus, nullis edictis, nullaq; mulcta castigari coërcerive potuerũt. Verum principiis obstandum erat prisca illa se veritate & parsimonia, quæ in infantia imperii extitit. Leges equidem sumtuari-

as Romæ promulgatas invenimus innumeras, sed nulla fuit, quæ capitalem luxum, at ne exilio quidem mulctaret, tametsi probrosè objici solitum Lucio Crasso & Lucullo.

Phania lex, qua cavebatur ne quis carius obsonaret, tres tantùm habuit qui parerent, Mutium scilicet Scævolam, Cecilium Tuberonem & Rutilium Rufum, qui historiam Romanam Græcè scripsit, auctores Athenæus & Macrobius. Parsimonia inquit Gellius lib. noct. Atti. 2. apud veteres Romanos, & victus atq; cœnarum tenuitas, non domestica solum observatione & disciplina, sed publica quoq; animadversione legumq; complurium sanctionibus custodita est: Et paulò post. Senatus decretum vetus est C. Fannio & M. Valerio Messala con-

consulibus factum, in quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutuá inter se convivia agitarent, jurare apud consulem conceptis verbis, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quàm centenos vicenosq; æris, præter olus & far & vinum, neq; vino alienigeno, sed patrio usuros, neque argenti plus pondo in convivio quàm libras 100. illaturos.

Sed post id Senatus consultum Lex Fannia lata est, quæ ludis Romanis, item Ludis plebeis & Saturnalibus in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, cæteris verò omnibus diebus de nos.

Lex deinde Liciina rogata est, quæ cum certis diebus sicut &

Fannia, centenos æris consumi permisisset, nuptiis ducenos indulsit, cæterisq; diebus tricenos, tum & carnis aridæ & salsamenti certa pondera in singulos dies constituit. Has leges nonnulli observarunt, eas tamen postea situ ob literatas L. Sylla renovavit, quoniam videret plerosque in patrimoniis amplis helluari, & familiam pecuniamq; prandiorum gurgitibus proluere. Legem itaq; tulit ad populum, qua cautum est, ut Calendis, Idibus nonisq; diebus ludorum, feriisq; quibusdam solennibus tricenos sestertios in cœnam insumere jus esset atq; potestas, cæteris autem diebus omnibus non amplius ternos. Sed hæc ridicula habita est, & à nullo observata. Nonnulliq; censent eum sic sanxisse, non ut modum sumptibus statueret,

sed

sed pretia minueret, ut pluribus luxuriosè vivendi facultas esset: & mirari subit, Syllam in tanta tyrannide & avorum suorum tantis funeribus & proscriptionibus, tàm scrupulosè rei escariæ modum voluisse statuere, & Scauri illius sui privigni portentosissimam prodigalitatem conniventibus oculis præteriisse.

Alia autem fuit lex Æmilia, quæ non sumptus cœnarum, sed ciborum genus & modum præfiniebat.

Postremò Lex Julia ad populum pervenit, C. Augusto imperante, qua profestis quidem diebus ducenti finiuntur, Calendis, Idibus, Nonis & aliis quibusdam festivis trecenti, nuptiis & repotiis, hoc est, postridiè nuptiarum sestertii mille, qui quinq; & 20. aureis coronatis æstimantur:

Christianorum nuptiæ nostra ætate longè luxuriosiores, & sumptuosiores sunt, quippe vel quotidiana convivia longè hanc taxationem excedunt, sestertii enim ducenti in singulas cœnas quinq; æstimantur coronatis. Porrò si qui essent Romani, qui simularét frugalitatem & continentiam, ii quæ lege excepta erant, id est, hortensia & quæ terræ nata vocant olera, legumina omnia, fungos & tubera ita lautè condiebant, ut facile aliorum quæ non erant exceptá, sumptus superárent, eaq; non magnoperè desiderarent, quo factum, ut è luxu in luxum, damnosiorem lapsi sint magno sanctionum illarum contemptu ac derisu.

Extant & aliæ censioræ leges, teste Plinio, glandia in cœnis, gliresque apponi vetantes. Inventi

pa-

pariter ſunt principes qui bacchanaſia viventes coërcere luxū ſimularint.

Domitianus in ſumma frugum penuria & vini ubertate largiſſima edixit, ne quis in Italia novellaret, utq; in provinciis vineæ ſuccciderentur. Fertur etiam C. Cæſar legem ſumptuariam ſeverè admodum obſervare juſſiſſe, diſpoſitis etiam circa macellum cuſtodibus, qui ementium obſonia retinerent.

Verum boni principes bonis ſuis moribus & vita proba exemplum ſatis præbent ſobriè & modeſtè vivendi.

Auguſtus in principatu ſuo, vitæ ſuæ ſeveritate atq; temperantia luxum diminuit.

Hadriani modeſtia ſuis pro lege fuit.

Antonius Pius tali uſus eſt

victu, ut esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa ejus per proprios servos, aucupes, piscatores, ac venatores instrueretur.

Temperantiâ quoque nobilitatos invenio Phocionem, Aristidem, Phormionem exercituum clariss. duces, Epaminondam Thebanum, Agesilaum illum magnum, Cleomenem Lacedæmonium, Alexandrum Macedon. Catonem Censorium &c.

Non omiserim imperatoris cujusdam Christiani severum verbum ad milites à Sarracenis victos, qui cum causam in vini inopiam rejicerent, quod scilicet vinum soleat animos incendere, corporiq; vigorem agilitatemq; addere, dixit, at qui vos vicerunt aquam omnes potant, eorum enim lege Mahumeticâ vini potus prohibetur. Egre-

Egregium quoq; Fabricii dictum & factum nefas duxi silentio præterire, cũ nullæ sint leges, nullæque sanctiones censoriæ, quæ magis avocare debeant à vitiis intemperantiæ, quam hujusmodi virorum vitæ exempla. Is Samnitum legatis immensum auri pondus offerentibus rogantibusq; enixissimè ut id acciperet, atq; uteretur in illa sua paupertate, fertur manus planas ab auribus ad oculos, & deinceps ad nares & ad os gulamq;, atq; inde ad imum ventrem deduxisse, simulq; legatis ita respondisse, dum illis membris omnibus quæ attigisset, obsistere atq; imperare posset; nunquam quicquam defuturum: quo verbo quid sanctius dici potuit? sed paucos habuit imitatores Romæ. Certum est tunc homines bene salubriterq; victuros, si

ventri atque gulæ vasis corporis pessimis non obtemperarint, sed eorum intemperatis cupiditatibus & importunis interpellationibus fortiter obstiterint: at eorũ causſa major mehercule mortalium pars vivit, horum gratia avaritia expetitur, luxuria his cõditur, his ad Indos navigatur, ad Phasin & ultra quæruntur obsonia, horum gratia profundissima exquiruntur maria. Quin nulla sunt montium juga, nullæ rupes, nulla clauſtra quæ non transcendantur & infringantur, ut venter saginetur.

Multi ob luxuriosam & delicatam victus rationem adepti sunt ventrem pinguissimũ & distentissimum in amplitudinem.

Ptolomæus Evergetes 7. Ægyptiorum Rex & hujus filius Alexander ob quotidianum vora-

ci-

citatem adeo fuere ventricosi, ut vix pedem efferre possint, raroq; in conspectum populi prodirent.

Dionysius Heracleorum tyrannus filius Clearchi ob intemperantissimas quoq; voluptates ad immodicam corporis molem adolevit.

Fuit item Pitho Bizantius Rhetor obesissimo aqualiculo, pariterque ejus uxor gulæ scilicet vitio & ventris intemperantiâ.

Nostra memoria nobilissimarum & clarissimarum gentium viri inveniuntur, & in aulis Magnatum non infimum locum obtinentes, qui adeò ventrem tumidum & turgidum habent, ut multis annis non licuerit pudenda contemplari: quibus tamen voracitatis quoddam vitium à natura insertum est, excusandi veni-

ünt, neque dubium eſt alios aliis fuiſſe & eſſe edaciores naturâ.

Exordium ſumemus ab ipſo tantopere decantato Hercule, quem neq; famem tolerare noviſſe, neq; gulæ ventriq; imperare, neque etiam modum cibis ſtatuere prodiderunt Græci, quæ ſunt ardentiſſimæ & intolerabilis intemperantiæ argumenta.

Eſt & incredibilis Milonis Crotoniatæ edacitas, is enim uno convictu carnis pondo 20. totidemque panis voraſſe creditur, vitli verò tres Choas exhauſiſſe, quin & taurum vivum in Olympia humeris ſuis circumtuliſſe, ſtadii unius curriculo prædicatur, ipſumque poſtea ſolum die uno voraſſe. Verum in prodigioſo robore prodigioſa fortè minus videbitur gula.

Sed quis Valentem Junium, ve-

vehicula cum culeis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitum, voracem fuisse non existimaverit? quin & carpenta comprehensa una manu retinere solitum, obnixius contra nitentibus jumentis, aliaq; mirabilia feciſſe, traditum reperio.

Athanatus autem, quem vidisse se Plinius affirmat, thorace plumbeo indutum, cothurnisq; quingentorum pondo calceatū, per scenam ingredi non parci fuisse, putabitur, quemadmodum nec is, qui centenaria pondera pedibus, manibus totidem & ducenaria humeris contra scalas ferebat,

Theagenes Thasius athleta taurum solus edebát.

Astidamas athleta Milesius, qui ter in Olympia victor evasit, plerunque omnia, quæ apud A-

riba-

ribatzanem Persarum Regem in convivio parata offenderet, solus absumebat: quamobrem non ineptè dixit ille, mille quidem in Græcia pestes esse sed athletarum generis pessimam & pernitiosissimam.

Est in exemplis quoq; Herodotus Megarensis tibicen & saltator, qui panis sex chœnices & carnis lb. 20. ederet, vinique hauriret duas Choas uno convictu: porrò & tubis duabus canere solitum Græci scripserunt.

Celeno Phrygiæ rex voracitate & ventris ingluvie memorabili extitisse fertur: In hac quoque nomenclatura reponunt Mithridatem illum Ponti Regem maximum, ajuntq; quandoq; certamen & cibarium & vinarium condixisse, constituisseq; victori præmium talentum unum argenteum

teum, atque in eo certamine Regem ipsum declaratum victorem.

Capitolinus Maximinũ partem narrat frequenter bibisse uno die vini amphoram Capitolinam, & edisse 40. carnis libras.

Gulosus ille Phago Aureliano Imperatori in delitiis fuit, quod uno in prandio ederet aprũ totum, vervecem unum, præterea porcellum & centum panes, exiccavitq; orcam vini, quibus in ventrem exceptis percontatus est cocum, quanam horâ sit redeundum ad cœnam, teste Vopisco. Digna hercule gula harpyis rapacibus.

Proximum nunc est, ut vinolentiæ sectatores prosequamur, bibaces & vinosos, qui circa perpenda vina occupati sunt: dederat nobis natura aquæ potum, quâ cætera omnia utuntur animan-

mantia. Verum ejus benignitate non continenti multo labore magnoque impendio liquores alios quæsivimus, qui mentem animumq; obtunderent, atque etiam adimerent, quin & corpora effœminarent & mollia redderẽt. Id v. nõ in una orbis terrarũparte inventũ est, sed ubiq; gentium.

Bibacitate autem nominatissimi atque celebratissimi fuerunt Græci, qui diebus festis inferias agentes pro poculis certabant, pluris facientes vinolentiam quam opes.

Hinc trita vocabula sunt græcari & pergræcari. Ægypti vino olim admodũ dediti fuerunt, eo enim abundabant, Sed contrà hodiè evenit. Nam jurarunt in Mahumetis perditissimi legem, quæ vini usum sectatoribus abdicavit: quare paucas vires illic

nunc

nunc videas. Romani Tricongium Torquatum appellarunt à tribus uno impetu congiis exhauſtis, & bicongium à duobus congiis Ciceronis filium. Xenarchus Rhodius Metretes dictus eſt à potione immodica. Maximinus, auctore Capitolino, pater, amphorum Capitolinam ſiccabat ſæpe in die, amphora vero octo congios capit, ſeu duodequinquaginta ſextarios.

Tiberius, quod ad merum pronior eſſet, dictus eſt Biberius & pro Nerone Mero. Antiochum quoq; Magnum vinoſum extitiſſe, hiſtoriæ teſtantur.

Alexandrum ad vina pronum fuiſſe, teſtatur Plutarchus, bibit apud Mediam vini fortis congios duos, & paulò poſt extinctus eſt; Philippus quoq; pater ebrietati indulſiſſe multorum conſen-

ſu

ſu dicitur: De quodam vini potatore reperitur, Syracuſis tamdiu potare ſolitum, donec ab eo cooperta ova in terra fœtum ederent, prodente Ariſtotele & Plinio ejus interprete.

Cato Uticenſis huic vitio affinis fuiſſe creditur. Bonoſus Imperator, ut ſcribit Flavius Vopiſcus, bibit quantum alius nemo: Et ſi quando legati barbararum gentium undecunque veniſſent, ipſis propinavit, ut eos vino obrueret, ſic enim ab ebriis conſilia eliciebat. Idem Phagi cujusdam meminit, qui vini orcam uno convictu biberet.

Dionyſius Siculus Neſtor item vinolentus traditur, nam vel gravi inſtanti pugna à potu non abſtinuit.

Illyrii cubantes cœnant & bibunt, ut Menander ſcriptum reli-

reliquit, quin & ſuas uxores, convictibus adhibent quibus propinare egregium & pulcrum putant: at demum ipſæ viros è conviviis deturbant, alvumq́, ſibi faſciis zonisque latis cingunt, dum potant: Primum quidem leviter & modicè, poſtea v. cum liberalius bibunt, arctius validiusq;. Conſtat multos invictosq́; exercitus militum vinolentiâ fuiſſe deletos. Carthaginenſes non ſinebant in caſtra vinum deferri.

Alcei poëtæ memorabilis fertur ebrietas: namq; ſemper potans inventus eſt, ſcripſitq; ſua poëmata ebrius: quod & de Comico Ariſtophane proditur: quin & Epicharmum in ſcenam primum vinolentiam invexiſſe ajunt, ut in totum dixiſſe liceat, poëtas vel inſignes vinoſos fuiſſe. Extant compluria nobilia exem-

pla

pla vinosorum, quæ audientium fastidio parcens prætereo: plura qui desiderat legat cœnas Athenæi, in quibus magnum Asotorum catalogum reperiet.

Sed & fœminarum genus vini fuisse avidum poëtæ Græci scripserunt.

Quin & annalibus Romanorum reperiuntur fœminæ vinosæ vel priscis illis temporibus, quibus luxus incognitus & ebrietas videbatur.

Romulo regnum obtinente Egnatius Metentinus uxorem, quod vinum è dolio bibisset interfecit, cujus cædis absolutus est à Romulo.

Est quoq; inter exempla, matronam quandam à suis inediâ mori coactam, quod loculos in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset.

Præ

Præterea invenimus mulierem à Cneo Domitio dote mulctatam quod viro inscio plus visa esset vini bibisse, quam valetudo exposceret. Polybius apud Athenæum scribit, Romanorum fœminis vinum bibere non licuisse.

Cato censuit osculum fœminis dari à propinquis, ut scirent an temetum olerent, hoc enim tunc nomen vino erat.

Nostræ hodie cautiores sunt & callidiores, quæ à vini haustu commanducant, aut anisum saccharo intectum, fœniculum, aut coriandrum, quo diverticulo imponunt maritis atque adulteris.

Apud Massilienses lex quoque fuit, qua mulieres aquam potare jubebantur, hancque legem eandem Mileti sua ætate viguisse

Theophraſtus autor eſt. Præterea apud Romanos præter fœminas, nec ſervilia vinum potabant, nec adoleſcentes qui annum 30. non attigiſſent.

Antiquores quoq; Romani in conviviis liberalioribus tot cyathos ſingulis hauſtibus ebibere ſoliti ſunt, quod erant literæ in nominibus amicarum; à qua conſuetudine Martialis Epigramma libr. 1. emanavit:

Nœnia ſex cyathis, totidem Juſtina bibatur,
Quinq; Lyca, Lyde quatuor, Ida tribus,
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno.

Atque inde ſunt inventa vocabula, triens, quadrãs, quincunx, ſeptunx, & reliqua quæ non magis pocula quàm menſuras ſignificant.

Sed

Sed certum est Romanos potores habuisse memorabiles, quod satis indicant bicongii, tricongii atq; amphorarii: quamvis consuetudo hic plurimum valeat, nam quanto plus biberint, tanto plus sitiunt Parthi: verum sitis causæ non stomachi tantum infirmitati vel firmitati, quod Budæus facit, tribuendæ, cum aliunde veniant. Capacitas certè ventriculi & ejus amplitudo cibi & potus majorem copiam expetit, arguitq; firmiorem constitutionem visceris: angustia verò & parvitas contra imbecillitatem, potulentorumq; ac esculentorum parsimoniam suadet:

Itaq; hic tenendum, errare eos, qui omnium morborum causam in intemperantiam rejiciunt, quasi hæc sola & unica sit omnium morborum mater. Licet enim

plures occumbant crapula quàm capulo, lancibus quàm lanceis, constat tamen experientiâ certisque autoritatibus, etiam exactissimè vivèntes in periculosos sæpè morbos incidisse.

Verùm de vinolentis hactenus, nunc de priscorum quoque poculis dicendum aliquid, quæ fuisse multiplicia & variasse etiam pro vinosorum miro ingenio & luxus inconstantia, non est obscurum indicatu. Latini potoria & pocula appellant, græce ποτήρια.

Sed hic prius docendum, an prisci majoribus & capacioribus poculis sint usi, quam nostra ætas. Scio enim non raro inconviviis liberalioribus hanc quæstionem excitari. NB.

Dicæarchus Messenius Aristotelis discipulus antiquos mi-

no-

noribus potoriis usos & dilutius bibisse prodidit.

Chamæleon Heracleotes in eo libro quem de ebrietate scripsit, antiquos græcos censet haud quaquam in usu habuisse capaciora pocula, sed idipsum esse novitium in Græcia postea inventum: à barbararum gentium moribus translatum: quin in nulla Græciæ parte pocula ampla fuisse admissa in mensas & potus, quàm à Solis magnatibus, heroibus, ab aliquo scriptum esse idem testatur.

Spartanis regibus, teste Herodoto, binæ dabantur cotylæ cæteris verò singulæ in convictibus, tanta erat apud eos vini parsimonia.

Nestoris poculum apud Homerum celebratur insigni amplitudine. Unde parere potest poto-

rium datum cyclopi ab Ulysse parvum haudquaquam extitisse. Poculorum autem nomina recensere quædam absurdum non est, maximè quorum usus crebrior fuerit & nobilitas præstantior.

Fuere quædam potoria gentibus peculiaria, κώθων Lacedæmoniis: quod genus erit utile & commodum in bello, ubi plerumq; aquam impuram haurire necesse sit: quin & eosdem figulinis usos in epulis nuptialibus solennibus & sacrificiis, traditur: nam in aliis conviviis aliis vasis potabant.

Quin & Argivi in quibusdam cœnis figulina usurpabant. Sed in primis Agathoclea regem ferunt potasse fictilibus & cœnasse etiam, cum tamen amicis suis & convivis aurea præberi curaret, ne scilicet oblivionem originis

nis ſuæ ad inſolentiam indueret ſublatus ex humili patris figuli fortuna ad regnum.

Romæ quoque eo pervenit aliquando luxuria, ut fictilia pluris venirent quàm myrrhina: unde & collegium figulorum illic conſtitutum eſſe narrant.

Nobilitantur gentes terra ſua & vaſis ex ea. Vaſa Arretina commendabantur.

Surrentum calicum nobilitatem retinuit. Saguntum quidem in Hiſpania, & in Aſia Pergamum & hæc ultro citroque per maria transportabantur.

Sed Choæ in maxima erant gloria, Hadrianæ firmitatis nomine laudem adeptæ. Amphora vas erat condendo vino accommodatum, non menſis, quanquam Tiberium vini amphoram ſuper cœnam cuidam propinaſſe inve

nio, quam uno impetu exhauserit. Potoria ingentiâ à Romanis usurpata constat. Nam & eorum proceres sic gloriam quæsiviſſe memorantur, unde Tricongiorum & Bicongiorum præclara illa cognomina. Sed quis quæso crederet hac nostra ætate posse reperiri, qui uno impetu tres congios aut etiam amphoram exsorberet. Plinius, ubi de ebrietate vitanda locutus est, venena excogitata ad sitim quærendam pariter enarrans, cautissimos, ait, ex his balneis quoq; coqui videamus, exanimesq; efferri: jam verò alios lectum expectare non posse, imò verò nec tunicam nudosque ibi protinus & anhelos ingentia vasa corripere velut ad ostentationem virium, ac plene infundere, ut statim evomant, rursusq; hauriant, atq; iterum, tertioq; tanquam

quam ad perdenda vini geniti. Ex quibus verbis maximis potoriis Romanos bibisse elicitur.

Præterea varias eorum figuras fuisse & cœlaturas non est dubiũ, alia enim ventricosa & patula, alia angustiora & strictiora: Invenio crateras, pateras, calices, cyathos, Scyphos. Carchesia, in frequentiori usu apud latinos. In Pauli Æmylii triumpho, crateres argentei, cornua, phialæ, & calices grandissimi affabreque facti & pulcerrimè ornati deferebantur.

Crater ut Græci putant, dicitur è κιρνάναι hoc est, miscere & temperare aquam vino, vel ἀπὸ τοῦ κέρατος, q. κερατὴς, quoniam in cornu olim vinum infundebatur. Mos enim fuit antiquioribus primum cornibus potare, idq; fecisse Thraces Xenophon docuit,

quin & Philippum Macedonem Athenienſibus cornu propinaſſe ferunt. Peonios ajunt boves educare, qui cornua geſtent tantæ magnitudinis, ut capere poſſint tres & 4. choas, quare ex iis facere pocula, quorum labia argento aurovè circumducantur. Porrò Athenienſes cornibus aureis uſos in potibus quidam memoriæ tradiderunt, unde Virgil. dixit:

Crateras magnos ſtatuunt, vinumque coronant.

Et grandem fuiſſe craterem oportuit, poſt quem Virgilius lib. 9. Aen. Rhetum ſeſe tegentem ne ab Euryalo interficeretur, ſcripſit, quod etiam carmine ſuo indicat:

Et magnum metuens ſe poſt crater a tegebat.

Pateram quoque in auctoritate fuiſſe non ambigitur; nam à Vir-

Virgilio ſæpe nominatur, præcipuè verò in Didonis convivio: Cum primis autem principibus & proceribus peculiaris exiſtimatur: unde Fabricius quidem ille Romanus bellicoſos imperatores vetabat habere plusquam pateram & Salinum ex argento. Calices, qui à Græc. κήλικες, multis modis luxuria variavit. Sed hoc quoq; nõ fuit ſatis. Gemmis potare inſtituerunt mores Romani, & calices Smaragdis contexere, quod Maro ſevere admodum & verè reprehendit carmine ſuo Georgico, cum ait:

Hic petit excidijs urbem miſerosque penates,
Ut gemmâ bibat, & ſerrano dormiat oſtro.

Murrhinorum vero & cryſtallinorum gratia inventa eſt ad rigidos potus, quibus pretium

fragilitas fecit: Murrhino calice 80. seſtertiis empto capaci ad ſextarios ſex potavit conſularis quidam ob amorem abraſo ejus margine, ut tamen injuriâ illa pretium augeret.

Nero amiſſarum rerum nuncio accepto duos calices cryſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos, ut ne quis alius biberet. Idem quoq; ſcyphi fracti membra ſervari, ut oſtentarentur, curavit. Quin & capedinem quadringentis ſeſtertiis, ut princeps Romanus pretioſiſſimè biberet, mercatus eſt. Murrhina ex Oriente petebantur, illic enim plurimum naſcebantur, præſertim in Parthorum ditione Carmania.

Cryſtallina in ſummo fuerunt honore, deportanturque à Venetis: ad frigidos quoq; potus quæſita cryſtallus, planeq; omnium

um consensu glacies est, nullibi enim reperitur nisi ubi hibernæ nives maximè rigent. Nascitur sexangulis lateribus. Xenocrates testatus est vas amphorale ex ea visum.

Vitrea nunc sequuntur, ex quibus inprimis laudantur candida translucentia. Usus eorum creberrimus tum Magnatibus, tum pauperibus. Sunt autem caloris impatientia, ut crystallus; nisi præcedat frigidus liquor: quin & virus aut venenum non tolerare vulgò creduntur, aut acrimoniam ceparum, aliorumve id genus: fiunt autem omnibus fere coloribus, nulla enim materia aut sequatior & ad picturam commodatior: raro tamen sic picti & coloribus infecti calices ad potandum usurpantur à vitam nitidiorem viventibus, tantùm ad ostenta-

tationem habentur, nisi qui margines inauratas habere visuntur, aut raras lineas in calicis orbe rectas transversasq;: alii ad escaria vasa, hoc est, tragematum & Saccharatorum, vitro picto utuntur, aut rubro aut cœruleo, & hyacinthum imitante aut Sapphyrum. Inopia ligni vitreorum annonam flagellat.

Scyphi nomen quoque Græcum esse certũ est, ἀπὸ τοῦ σκαφίδιον hoc est, vasculo, quo lac aut serum continetur, cœptiq; sunt fieri fictiles & argentei, multisq; modis ornabantur, auro, argento, gemmis & cælaturæ artificiis singularibus, ideoq; à Roman: ad potandum usurpabantur, verum in Scyphis aurum spectasse prodigiosum habitum & luxuriosum, Plinius testis est, ubi de petoritorum & vehiculo rumor-

na-

namentis & inani luxuria dissẽrit.

Vasa quoq; potoria ex Onyche facta primum in Germania: quin & amphoræ ex eo lapide & urcei: absurde labuntur hîc qui Onychem unguem interpretantur.

Trulla præterea inter vasa vinaria reponitur, quæ ex auro & ex murrhino fieri luxus excogitavit, etiam ad ventris excrementa excipienda.

Fuerunt & alia pocula affabrè facta & cælata, ut illa duo quæ Germanicus Cæsar dedit Cassio Syllano præceptori suo Calamidis manu cælata, quæ postea Zenodotus ita æmulatus est, ut vix ulla artis esset differentia.

Fiebant item potoria vasa ex Carchedonio, & hodie etiam ex argento & argento vivo, quod

vitæ insidiosum arbitror, vix enim fieri potest, quin tempore atteratur & absorbeatur aurum, & reliquiæ argenti vivi potibus admisceantur, quæ viscera perrumpant dira tabe: nam certum est aurificum & artificum inaurantium corpora tremore pertentari. Esse quoque Carchesium antiquissimum potorium figuræ oblongæ, testatur Virgil. Aen.

Hic duo rite mero libant Carchesia Baccho
Fundit humi:

Nomen ei redditum putant à suprema mali in navi parte.

Magnam denique poculorum nomenclaturam à Græcis ad Latinos transiisse extra controversiam est, cumque nobis plus quàm abunde omnis generis suppe-

Au-

tant, facto fine rivos claudo.

Audiviſtis de priſci ſeculi inclinatis ad luxum moribus, quâ gloriâ ſi noſtræ ætatis mores hominesq; defraudarem, magnam certè injuriam facerem. In hac innumeri vivunt ut edant, non autem edunt ut vivant, longe à Socratis ſapientiſſimi ſententia remoti. Vina enim hac noſtra ætate tam profusè prodiguntur apud Chriſtianos, ut videantur ad perpenda ea geniti: proceres, pauperes, plebs infima, infantes, pueri, viri atque fœminæ pariter vinum amplectuntur, nec ſine eo vitam putant beatam, ut nulla in parte operoſiorem vitam noſtro ſeculo inveniamus quàm in perdendis vinis, Apud nos enim ſine lege, ſine modo bibitur.

Germanorum bibacitas apud ali-

alias gentes hodie ante cunctas nobilitatur, atque inter miracula celebratur, cum singuli quaternos quartarios uno prandio hauriunt, & hodie vasa potoria cernuntur, quæ plus quam duas choas capiant, quibus hospites & externos liberalissimè invitant & proluunt: ac nullus hoc tempore est, qui luxuriosas & profusas mensas non struat, quique coquos ganeæque artifices peritissimè cibos condientes & patrimonia mergentes non quærat: quam vitæ intemperantiam apud Christianos maxime debacchari memoriâ nostra videmus.

In conviviis enim nostris omnes studemus & certamus pro luxus patina & principatu.

Nam quo quisq; exquisitissimorum obsoniorum varia genera epularumq; varios apparatus & lau-

lautos profusius dat, eo magis commendatur: at quantò innocentius ille victus fuit, de quo Plinius, qui tunc Asiæ præerat, in Epistola quadam ad Trajanum Imperator:

Coibant Christiani, ad capiendum cibum promiscuum & innoxium. O tempora, O Christianorum mores prostratos? venimus eò, ut maximè cibis pereamus, hinc innumerosissimum illud morborum agmen ac satellitium novum, quod indies gulæ culpâ emergit: nam certum est vino potuq; immodico plurimos funeris ante diem interire.

Cave verò quis putet eò hæc à medici, ut omnem apparatum epularum abjiciam, omnemque mensarum voluptatum detester: Cum enim convivium, teste Nonio sit epularis amicorum accubatio,

batio, vitæque habeat conjunctionem, & Cicero convivia dixit, quòd tunc maximè simul vivatur, haud scio, an ad amicitiam fovendam & conservandam quicquam possit esse eximius; convivia enim publica à prudentibus legislatoribus in hunc finem instituta sunt: habet enim nescio quid philtri in se vinum ad benevolentiam conciliandam.

Verum de convivarum numero mira est sententiarum inconstantia. Aulus Gellius à trium gratiarum numero ternarium in literas retulit, unde forte Horatius carminibus suis ternarium numerum tantum ascripsit, cum inquit.

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario semper diversa palato.

Tri-

Triclinii verbum à tribus lectis qui contigui sternerentur, quibus convivæ (ut nunc quoq; Turcæ & Græci) accubarent: Hinc Horatius:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Et Juvenalis,

neglectum adhibere clientem
Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto.

Sund apud Græcos, qui tres tantum convivas adhiberi censuerunt, alii quatuor; alii quinque alis sex, ut ita possit intelligi rarius illum morem fuisse observatum, nisi forte apud philosophos & literarum studiosos.

Porro quæstio quoque fuit & hodie frequenter versatur, num inter epulas & convivandum silere oporteat omnino, an philosophandum & de negotiis

seriis loquendum. Quidam enim existimarunt serios & philosophicos sermones mensis abdicandos; atque etiam alia negotia quae intensiorem cogitationem desiderent, nihil enim castæ philosophiæ commune esse cum turbulento Baccho ajunt.

Nam quemadmodum apud quasdam gentes non licet conjugibus viris suis convivia celebrare, foraſque prodire, sed concubinarum & meretricum est epulis interesse & lascivire, producique in vulgus & pudorem exuere, ita philosophiæ arcana inter patinas & pocula minima detegenda sunt aut propalanda. Isocrates orator summus, rogatus aliquando super cœnam, ut de eloquentia sua quippiam dissereret, respondisse sic fertur, quæ præsens locus tempusque exposcit, ego non calleo,

nec

quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt accommoda, nec tẽpori. Horum a. mirari subit opinionẽ, cum maximos & clarissimos philosophos libros peculiariter dicasse constet institutioni conviviorũ. Platonem dico & Xenophontem Socratis discipulos, qui studiose & diligenter officia convivialia pertractarunt. Quamobrem de Philosopiæ fontibus in mensa aliquid propinare, non importunum videri debet, sed maximè tempestivum & utile. Mos fuit doctissimis Romanis inter cœnas aliquid legere, & etiam excerpere & adnotare, quod utrumq; Plinium factitasse invenimus, aliosque non paucos. Cornelius tamen Celsus à cœna intensam cogitationem non esse tutam asseruit, quin & medicorum placita decernunt, haud esse inter eden-

dum

dum laborandum, proinde tunc intendere lectioni animum fortè non parum esse noxium quis censuerit. Id obseruari in ludis literarum videmus, ut cæteris prandentibus aut cœnantibus unus pulpitum conscendat, legatque aliquos Doctorum virorum commentarios, vel etiã caput ex sacro codice. Ego certe in ea sum opinione, ut morosos ac tetricos sermones à mensa debere procul abesse autumen, & convivatorem rusticum & inurbanum, qui convivas suos (ut plerique nunc faciunt) quæstionum ambagibus & deliris propositionibus exagitat. Id vero male sani quidam agunt, quoties hominem vel Theologiæ, vel Jurisprudentiæ, vel Medicinæ Philosophiæque peritum invitarint ad cœnam: Accedere in primis ad cibos hilaris quisque

que debet, & potibus jocos admiſcere, non illos quidem hiſtrionicos & ridiculos, ſed honeſtos & liberales, quales verè elegantes homines ſolent afferre ex muſarum ſacrario. Pythagoricum illud ſilentium, loquacitatem item & garrulitatem ante cuncta damnari videmus, atque improbari. Quare modus ſtatuendus & inter utrumque medium. In lætitia convivali quis ferat medicum aliis convivis leges præſcribentem ciborum & potuum? ſed quis Philoſophum de metaphyſicis diſſerentem? & quis Jurisconſultum de nodis legum diſceptantem? quis Aſtronomum de Epicyclis, metopomanticum de lineis frontis: Mathematicum de numeris terræque menſura

&

& id genus alios disciplinarum professores? Qui igitur scientia aliquâ clarus convivio adhibetur, non de ipsis, ut ait Macrobius profunditatis suæ inter pocula secretis loquetur, nec nodosas & anxias, sed utiles facilesque quæstiones movebit. Scyphis enim ad lætitiam natis Nympharum Musarumque societas non erit sic intempestiva: meminisse autem oportet convivia muta ferè semper displicuisse: unde convivatori curandum, ut convivas adhibeat hilares, qui epulas eruditis & suavibus sermonibus condiant. Accidit tamen, ut mensarum initio ferè semper conticescant convivæ intenti scilicet patinis, postea procedente convivio hilariores facti sermones & murmura exoriuntur. Cato Major in agris cœnas opiparas exhibe-

bebat, ad quas invitabat, vicinos agricolas, æquales ſuos & familiares: quæ quidem consuetudo non ſolum æqualibus ſuis ſed & juventuti quoque erat gratiſſima, quippe propter multarum rerum experientiam, orationem memorabilem ſermonesq; prudentiſſimos ſtudioſiſſime obſervabatur. Menſam autem amicitiæ eximiam conciliatricem ſemper affirmavit; Solebat idem ſuper menſam cives de Repub. bene meritis laudibus exornare, contra vero malos & improbos convitiis proſcindere.

Paulus Æmylius, qui de Perſeo Rege Macedoniæ triumphavit, poſt eam victoriam inſtructiſſima convivia apparavit: Etenim dicebat ejusdem eſſe artis & diſciplinæ, terribilem aciem, & ſuave convivium ſtruere, illam ut formido-

midolosus hostibus, hoc ut amicus gratus esset:

Apud Homerũ invitati tum ætatibus tum studiis atq; professionibus differebant. Nestor, Ajax, Ulysses, omnes virtute quidem præstantes erant, sed tamen aliter atq; aliter, quippe alius oratione & eloquentiâ, alius corporis viribus, alius v. astutiâ pollebat. Plato in convivio suo adhibuit Eryximachũ medicum. Xenophon Aristophanem poëtam. Homerus voluit optimos atq; laudatos viros vocandos: Hesiodus vicinos præcipuè. Solebant antiqui Spartani festa sua celebrantes Helotas, quos in servitutem redegerant, ad vinolentiam & ebrietatem compellere: illosq; temulentos, & vino madidos postea in juvenum conviviis ostendere, ut scilicet hujusmodi ebrietatis ludibrio

brio & turpitudine juventus à vino deterreatur. Verũ hominum vitam, moresq́; & corpus depravare, ut exemplum aliis præbeatur bene vivendi, an ſit mos laudabilis prudentioribus judicandum relinquo

Plutarchus Philoſophus in primis ſapiens & eruditus acerbusque vitiorum caſtigator, Lacedæmoniorum illam emendationem in civilem plane & illiberalem affirmavit. Sed ad rem. Quare deteſtandi ſunt inque amicorum numero non ferendi, qui nunquam, ut de Pericle tradunt hiſtoriographi, apud amicos cœnant, quamdiu in vitæ conjunctione & Republica verſantur, omnemque epularum apparatum abjiciunt, putantes, convivia ad deprimendam omnem animi elationem valere, nec facilè in conſue-

tudine expectationem gravitatis, & severitatis conservari: Ego puto nihil magis movere admirationem, quàm quotidianam & gravem vitæ cum aliis consuetudinem:

Ipse Christus omnium exemplorum rationumq; loco nobis debet esse, quem Evangelica historia tradit, & convivio alios excepisse, & ad aliorum convivia accessisse, atq; adeò cum improba famæ hominibus, publicanis & meretricibus sæpenumero convivia inire minimè dubitasse, non libidine quadam immoderataque cibi potusque aviditate, sed, ut *Hieron. cap. 9. Matth.* differit, ut occasionem haberet docendi, utque illorum invitationes cum spiritualibus epulis compensaret, illosq; hac occasione ab improba vita ad bonam frugem per-

du-

duceret. His adde Salomoniis in Ecclesiaste testimonium, nihil dicentis, homini ferè optabilius esse, quàm lætari, convivari, & soluta quadam animi libertate esse: nec non *Syracidis c.31. & 32.* docentis convivia jucunda esse &c. Si igitur Christus cum Pharisæis, Publicanis, meretricibus, & id genus aliis convivari solitus est, nobis quoq; an hoc liceat, quæritur: Respondetur, non simpliciter & in universum omnem convivandi cum impiis libertatem Christianis in sacris literis interdici, quam etiam ipse Paulus relinquit liberam, *1.Cor.10*, sed nimium convictum prohiberi, cum videlicet quis avidè magnoque studio & voluptate consuetudinem eorum sectatur cum dictis vel factis illorum superstitionibus impietatiq; præbet assensum,

cum religionem veram criminandi ſubminiſtrat occaſionem, & Chriſti exemplo contrarius, in impietate & ſuperſtitionibus ipſos confirmat, cum præcipuus conviviorum finis ſit, omnia facere ad Dei gloriam. Inordinata igitur, immoderata, luxurioſa, monſtroſa, portentoſa, & ſumptuoſa convivia damnantur, quæ non ex honeſtatis & charitatis erga Deum & proximum ſtudio, ſed ex ambitione, & inexplebili quadam voluptatum cupiditate inſtituuntur.

Contra verò frugalia, munda, parca, moderata, jucunda, ſuavia (quæ honeſtis & liberalibus jocis ſunt condita, quales verè elegantes ac eruditi homines ſolent afferre è muſarum ſacrario) maximè probantur, ſunt enim luxus exotici doliique ignata.

De

Convivium quid?

De his conviviis verè & convenienter dicitur, quod sint mutuæ hominum caritatis, amicitiæ, benevolentiæq; vincula & symbola. Unde rectè à convivendo dicuntur, vitæq; conjunctione & quasi convictu, quod tunc maximè simul vivatur, teste *Ciceron. l. de senect. Nonius Marcell.* epularem amicorum accubationem vocat. *Aristoteles in Ethicis* convivationes hominum amicitiis tuendis ac stabiliendis perquam accommodatas esse scribit. Cicero Pætum monet, ut cum viris bonis, jucundis, suiq; amantibus vivat, sermone enim familiari, qui in conviviis est dulcissimus, vitæ nihil aptius esse nihilq; ad beatè vivendum accommodatius: ac plurima alia præclara doctissimorum testimonia ad hunc conviviorum finem demonstrandum

Convi-viorum finis. extant: unum tantum producam quod est *Plutarch. lib. 4. Sympos. problem.* 1. ubi convivii finem esse dicit amicitiæ vel generationem, vel confirmationem junctam cum voluptate, unde convivium definit vivendi rationem per vini usum in amicitiam desinentem.

N.

Hinc festivè admodum Romanus ille solus aliquando cœnans eo die se non cœnasse dixit, sed edisse tantum, innuens, cœnam semper communione & amicitia veluti condimento indigere. Ne-

Convi-viorum utilitas. q; vero ad amicitiam tuendam stabiliendamq; tantum convivia valent, sed & ad simultates inimicitiasq; auferendas: graves enim diuturnasq; privatorum hominum simultates, odiaq; conviviis extincta legimus, ac & jamnunc hodiè sæpè homines capitalibus à se invicem odiis dissidentes con-

conviviorum occasione sibi invicem reconciliari. Sic M. Crassus Ciceroni reconciliatus convivio est. Scipio & Hasdrubal convivio sibi invicem reconciliati: ut verè dixisse liceat, mensa posita contentionem tolli, h.e. mensæ communione sæpè tolli rixas, inimicitiasq; gratiamq; reconciliari, cujus rei exemplum profertur de Isbosetho filio Saulis, in cujus ædib. cum exarsisset altercatio, servus ejus adornato convivio dicitur eam diremisse. Habet n. nescio quid philtri in se vinum ad amorem reconciliandum. Atq; hoc de conviviis frugalibus & moderatis, quæ si nimis sunt sordida & parca, rectè appellantur Cynica & Timonia: Cynicorum n. Philosophorum victus erat vilissimus, tenuissimus & sordidus, siliquæ, videl. & legumina. Timoniæ

Convivis inimicissimi sæpè reconciliati.

Convi-

via sordida quæ?

à Timone, cui humanum genus exosum erat, dictæ sunt, is n. vitam sequebatur feram, in cibisq;, viliſſimis & à reliquis hominibus propemodum damnatis acquiescebat. Huc referuntur cœnæ terrestres, quæ nil niſi terrâ productum continent, quas Horatius cœnas ſine ſanguine vocat: & paſſerinum convivium, pro exiguo bolo & minuto, quantum vel paſſer abſumat. Sordidum deniq; nimisq; tenue convivium eſt abſq; fumo, in quo nihil cocti obſoniiq; apponitur. Quemadmodum igitur, qui nimia conviviorum crebritate atq; frequentiâ, eorũq; profuſo, ſplendido ac ſumtuoſo apparatu gaudent, in exceſſu peccant, ita contrà in defectu ſordide delinquunt qui ita convivali conſuetudine abhorrent, ut neq; alios adſe, epularumq; ſuarum com-

Tria hordidorum homi-

mu-

munionem unquam invitent, neque invitati ad aliorum convivia accedant, idquod fere cujusdã immanitatis esse videtur, quippe cũ ipsa natura atq; humanitas hanc vitæ cœnarumq; consuetudinem postulet. II. Cum quis invitatus liberius quidem & prompte aliorum convivio se sistit, at ille invitat neminem, id quod avaritiæ ingratitudinisq; cujusdã flagitiosissima vitium est, quo quis laborãs ἀλλοτριοφάγος rectè dicitur, cui nimirum dulce est aliena vivere quadra. Horum passim reperiuntur plurimi, quos neq; pudet neq; piget, neque pœnitet inconvivientiæ suæ & monophagiæ sordidissimæ, & si quando honestioribus liberalioribusq; conviviis adhibentur, alienamq; quadram arrodere ac lingere illis licet, tanta ciborum ingluvie se infarciunt; *num nera.*

uno prandio cœnave, quanta vix decem alii, accusari se à natura & genio existimantes, si in tanta epularum strue apparatuq; eum defraudarent: III. Cum quis ad convivium à se invitatos nimis tenuiter sordideq; tractat, eosq; semi famelicos atq; sitientes dimittit, qui μικροτράπεζος potest appellari, hoc est, parvam & angustam mensam ponens: ubi tamen excipiendi, qui adversa valetudine impediti, vel negotiorum multitudine districti, vel deniq; ex inopia & egestate convivali hujusmodi officio fungi minimè possunt.

Plinius Orator Plinii Avunculi nepos, non probabat eos, qui sordidi simul ac sumptuosi essent, qui scilicet in conviviis & convictibus sibi & paucis optima quædam, cæteris vilia & minuta po-

ne-

nerent, vinaq; lagunculis in plura deſcriberent genera: hunc morem diſplicuiſſe Catoni cenſorio, atq; etiam ipſi Plinio avunculo, maximè v. Cæſari Dictatori, qui piſtorem ſuum vinxit, quia alium panem ſubjeciſſet conviviis ſuis, quàm ſibi, tradunt hiſtoriæ, Hic circa cibũ adeo indifferens fuit, ut quondam ab hoſpite conditum oleum pro viridi appoſitum aſpernantibus cæteris, ſolum etiam largius dicatur appetiviſſe; ne hoſpitem aut negligentiæ aut ruſticitatis videretur arguere. Eundem quoq; ne inimici quidem vini parciſſimum fuiſſe non negarunt, munditiarum tamen lautitiarumq; fuiſſe ſtudioſiſſimum conſtans opinio eſt.

Vox mehercule præclariſſima eſt Plinii, non enim inquit, quod ego, liberti mei bibunt, ſed idem

ego, quod liberti, gulamque reprimendam & in ordinem redigendam censet.

Hannibalis certe summa in victu celebratur moderatio. Is enim neq; in Italia, neq; in Aphrica usquam cœnans recubuit, aut plusquam vini Sextario in convictu indulsit. Constantinus Imperator (ut ait Marcellinus) parce sobrieque edendo ac potando valetudinem ita retinuit firmam, ut raros contingeret morbos, sed eos non procul à vitæ periculo, id enim evenire corporibus à luxu intemperantiâque remotis diuturna experientia & probationes medendi monstrant.

Severus nihil unquam imperatoriæ luxuriæ, nihilq; deliciarum in exercitu ostentavit, eundem semper cibum ac potum capiens quem cæteri milites.

An-

Antonius abjectiſſimis cibariis militariter delectabatur.

Pompeii modeſtia & facilitas inſignis invictus ratione fuit, de qua re id tantum commemoraſſe ſatis erit, quod cum morbo decumbenti & cibos faſtidienti medicus ac recreandam aviditatem turdum illi appoini juſſiſſet, hunc que venalem non invenirent famuli, quoniam id temporis non ferebat, à quodam indicatum eſt, apud Lucullū poſſe reperiri, qui eos toto anno in vivariis educaret: at Pompejus ad ea dixiſſe traditur, nos igitur ſine Luculli luxu vivere non poſſumus? Dimiſſo itaq; medico alium facile parabilem cibum ſumpſit.

Cato quoq; Cenſorius in ampla fortuna tenuiter vixit, ex rapis jucundiſſimum ſua manu ſibi parabat obſonium, eoq; ut ſaluberrimo veſcebatur. A

A puero laboribus & moderata vivendi ratione, & ex rei militaris consuetudine, ad robur & bonam valetudinē constantissimum nactus est corporis habitū: in exercitu cum sitiret, fere semper bibit aquam.

Quod si æstu graviori tentaretur, aceti haustu crebriori sitim levabat & calorem, & si quando infirmior sibi videretur, ut vires pristinas instauraret & retineret, leviusculi vini nonnihil degustabat eodemq; pane eodemq; vino, quo sui, usus est Imperator & Consul.

Incuriam porro suorum & imprudentiam in iis quæ ad cibos spectarent, non molestè ferebat, putabat enim obscœnum esse & indecorum, gulæ alvique causæ graves cum servis lites suscipere: Constat nihilominus ipsum eo

genere duri & rigidi victus uxorem perdidisse & liberos.

Curius similiter Romanorum Imperator rapis vixisse proditur: quare cum ei Samnitum legati aurum plurimum obtulissent, respondit, illi auro non opus esse, qui talia cœnaret, ostendens rapam, quã foco torrebat in cibos.

Alexander illé Macedo, ventris cibiq; temperatissimus fuisse traditur: ad prandia enim nocturna itinera, ad cœnas verò prandiorum tenuitatem optima esse cõdimenta censebat, ideoq; coquos ab exercitu suo removit.

Is cum primùm diluculasset, prandio accumbebat, cœna verò jam appetente nocte bibebat inter sacrificandum ciborum exquisitorum adeò fuit contemptor, ut adse è longinquo missa obsonia elegantissima inter amicos

cos partiretur, nihilq; ex iis sibi reliquum faceret. In rebus gerendis cum magnus imprimis fuit, tum v. sobrius & vigilans, non temulent°, nõ imperii licentiâ bacchabundus, cujus qui minimam partem nacti sunt, temperare sibi nequiverunt.

Augustus, cibi minimi atque vulgaris fuit, pisces enim minusculos & panem secundarium, caseum bubulum manu pressum, & ficus virides biferas maximè expetivisse ajunt.

Vini autem naturâ erat parcissimus, nec amplius ter bibere solitus super cœnam in castris apud Mutinam. Quoties verò se largissimè invitasset, senos Sextantes non excessit: maximè delectatus est Rhetico, neque temere interdiu bibit: pro potione sumebat perfusum aqua frigida pa-

panem aut cucumeris fruſtum, aut lactucæ thyrſum, aut recens acidumve pomum ſaporis vinoſioris.

Veſcebatur ante cœnam quocunq; tempore & loco, quod ſtomachus deſideraſſet. Præterea epulandi confuſiſſimum ſolutiſſimumq; modum correxit, aſſidue tamen convivabatur, verum cœnam ternis ferculis, aut, cum abundantiſſimè ſenis præbebat.

Quærentem de inopia & caritate vini populum Rom. ſeveriſſima coercuit oratione ſatis proviſum à genero ſuo Agrippa productis pluribus aquis, ne homines ſitirent.

De Peſcenio Imperatore non abſimile traditur. Nam cum in Ægypto cum exercitu eſſet, quereréturq; milites quod vinum non adeſſet, reſpõdit; Nilũ habetis &

vi-

vinum petitis? nam revera incolæ illius amnis aquam bibunt: fuit præterea tenuis valetudinis, quam diligentia tuebatur, unde annum sextum & septuagesimum attigit.

O aurea secula; Hos tantos Reges tantosq; Heroas quis crederet tam sobriè vixisse? rara namq; sobrietatis atq; fortunæ concordia est. Sit igitur & nobis modus apparatui impendioq; cœnarum. Sint simplices escæ, mensæq; simplices, nulla varietate & pernitiosa coacervatione opulentatæ. Sordidus hic mos est & detestandus, Sed his miseriis homines obnoxios reddit mala ambitio & dira habendi cupido, ostentatioq; potius prodigi luxus quam necessitas & utilitas. Ipse Christus Dominus noster exemplum nobis vitæ prodidit, prodiderũt Apostoli,

li, prodiderunt tot Sancti viri illius imitatores, quos si & nos imitaremur, satius esse cum Plinio cõcluderemus, simpliciter vivere & frugaliter, quam gulæ irritamentis delitiisq; turpiter se polluere, in amplis patrimoniis helluari, opesque & pecuniam prandiorum gurgitibus proluere.

Quod etiam Horatius vitiorum acerrimus castigator & censor carminibus suis de victu moderato, verius quam vel ullus philosophus vel Medicus, vel Theologus, expressit. libr. II. serm. satyr. 2.

Remitto etiam auditorem vel lectorem ad Satyram quam scripsit Varro de cibis & lautitiis, in qua versibus comprehendit exquisitas delitias, & quæ helluones terra mariq; conquirunt, pleraq;

ex-

expoſuit, generaque & nomina eduliorum ſicut & domicilia ciborum ut monſtroſa, ſic pernitioſa exprobans recenſet.

FINIS